


600011257M



DE TEMPORE,

QUO

PRIOR PAULI

AD

TIMOTHEUM EPISTOLA

EXARATA SIT,

COMMENTATIONEM,

PRAEMISSA DE AUTHENTIA EPISTOLARUM PAULINARUM

DISQUISITIONE,

SUBIUNCTOQUE DE LOCO ACT. XX, 4—6 EXCURSU

SCRIPSIT

ADOLPHUS CURTIUS


LUBECENSIS.

PRAEFATUS EST DR. A. NEANDER.

BEROLINI,

SUMTIBUS FERDINANDI DUEMMLERI.

MDCCCXXVIII.


BIBLIOTHECA·BODLEIANA·
DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA

FAUTORIBUS SUIS

SUMMA PIETATE ET OBSERVANTIA
COLENDIS,

VIRO HONORATISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

ADOLPHO RODDE

ET

VIRO AMPLISSIMO ET ADMODUM
REVERENDO

CAROLO LINDENBERG,

AD AEDEM ST. AEGIDII LUBECENSEM ARCHIDIACONO
OPTIME MERITO,

PRO BENEFICIIS LARGISSIME SIBI
TRIBUTIS

GRATIAS ACTURUS,

HUNC QUALEMCUNQUE LIBELLUM

DEDICAVIT

AUCTOR.

Laetus amplector oblatam occasionem optimae spei juvenem mihique imprimis dilectum, qui jam in eo est, ut hanc universitatem, in qua studia theologica diligentissime excoluit, relinquat, hoc testimonio in virorum doctorum societatem introducendi, eumque civium, ad quos reversurus est, favori commendandi. Exiguum hoc amicitiae officium dilectissimo Curtio nostro minime denegare potui, quippe qui, me praesertim auctore, consilium ceperat, has studiorum exegeticorum historicorumque primitias in publicum proferendi. Prima enim hujus laboris suscipiendi causa auctori haec fuit. Stipendii cujusdam academici, quod fautorum in patria urbe benevolentia ei contulerat, conditiones hoc ipsi injungebant officium, ut quaestione aliqua theologica pertractanda studiorum academicorum successus fautoribus probaret. Consilio mecum inito, Curtius noster elegit, quas tractaret, quaestiones de epistola divi Pauli ad Timotheum historicas, exegeticas, criticas. Quo in labore quum aliquantum progressus esset, scriptionis particulam quandam mihi praelegit. Etsi vero auctoris sententiae complures ibi propositae mihi

non omnino probabantur, justo tamen judicio agnoscere me oportuit in auctore nostro liberum ingenii nisum suo Marte pugnantis. Sine qua ingenii libertate omnia in scholarum turpissimam servitutem abeunt, atque literarum studia mentes hominum non altius extollunt, sed molestissimo jugo opprimunt. Quae si deest ingènii libertas, non veritas, solus studiorum humanorum dignus scopus, quaeritur et invenitur, sed opinionum commentorumque tyrannis stabilitur. Hoc igitur, unde quum omnium literarum, tum maxime sacrarum, quae divina libertate gaudere volunt, dignitas pendet, in primo ingenii juvenilis fructu laetissime agnoscens, auctorem modestia sua pavidum exhortationibus meis incitavi ad laborem, quem prospere aggressus erat, continuandum et consummandum, atque cum amicissimo Dümmlero egi, ut scriptionem hanc typis ederet.

Berolini a. d. XII. Cal. Jun. MDCCCXXVIII.

Dr. Augustus Neander.

Index.

*) Sectio haec, in disputatiuncula numero sexto insignita, casu a justo loco disjecta est; quare lectorem benevolum rogamus, ut, numeris emendatis, eodem ordine legat, quo sectiones in indice dispositae sunt.

Introductio.

De epistolarum Paulinarum authentia universa.

Praeteritis saeculis quamquam de reliquis fere omnibus N. T. scriptis, an sub veri auctoris nomine ferrentur, saepenumero est dubitatum: sane permirum est, quod nemo ulli epistolae, cui disertis verbis nomen Paulinum praefixum est, originem Paulinam denegaverit. Fuerunt quidem, qui epistolarum ordinem, ab ecclesia receptum, mutandum sibi sumerent; ut Grotius, qui epistolam posteriorem ad Thessalonicenses prius esse scriptam, quam priores, quae vocarentur, ad easdem litteras docuit. Fuerunt, qui epistolas quasdam in plures partes esse dividendas censerent. Sic Semlerus et Heumannus, epistola ad Romanos additamenta quaedam, quae non ecclesia Romana, sed Corinthia accepisset, contineri judicaverunt. Simili modo idem Semlerus et post eum plurimi interpretes, ep. II. ad Corinthios in plures epistolas diverso tempore conscriptas esse secernendam, conjecerunt. Fuerunt denique, qui hoc illove modo epistolis Paulinis derogarent integritatem. Sed nostra aetas prima tulit Theologos eosque in hoc critico genere spectatissimos, qui nonnullis Pauli epp. authentiam aperte abjudicarent. Quorum e

numero, qui primus exstitit, J. E. Chr. Schmidtius posteriori ad Thess. ep. originem Apostolicam concedere noluit. *) Tum post aliquot annos Schleiermacherus **), V. S. V, acerrima et antea fere inaudita ingenii sagacitate probandum sibi sumsit, I. ad Tim. ep. non a Paulo esse exaratam, sed ab interpolatore quodam e litteris II. ad Tim. et ex ep. ad Titum congestam et compilatam. Neque diu solus stetit in acie; mox enim B. Eichhornius ***) non solum eandem pugnam inivit eamque suo, ut ipse dicit (l. c. pag. 318.), Marte, sed etiam protulit arma, adeo ut omnes tres epp. pastorales suppositicias haberet. Atque quamvis accuratius nobiscum reputantes dubitemus, utrum Schleiermacheri adversarium potius, an defensorem nominemus Eichhornium, qui fontem, ex quo solo Schleiermacherus epistolae sententias etiam ab ipso maximam partem vere Paulinas habitas repeti posse putat, obstruxerit, itaque ab illius causa suam sejunxerit: tamen haud scio, utrum ipse liber Schleiermacheri, cui tanquam priori scriptori majores partes tribuendae sunt, an usitatissima Eichhornii introductio majorem habuerit vim, ut abhinc ep. I. ad Tim. pejus audiret. Fideliorem sane Schleierm. habuit assensorem Löfflerum †), qui gravissimis V. D. causis se convictum esse profitetur. Ac de Wettius ††) quoque, V Cel. adeo Schleiermacheri, quas sibi constituit in re critica, leges sibi probasse videtur, ut non solum huic ejus opinioni tantam fidem esse habendam putarit, quantam omnino conjectura aliqua assequi liceret, sed etiam similes quasdam judi-

---

*) *Einleitung in das N. T.* (1804.) *II. pag.* 256. *seq.*

**) *Ueber den sogenannten ersten Brief des Paulus an den Timoth.* 1807.

***) *Einleitung in das N. T. Dritter Band S.* 315.

†) *Kleine Schriften. Zweiter Band S.* 216 *ff.*

††) *Einleitung in das N. T. S.* 271 *ff.*

candi leges ad aliam Pauli epistolam excutiendam attulerit. Nam de ep. ad Ephesios quoque De Wettius, quamquam aperte non ausus est eam rejicere, nihil aequius iudicat, neque lenius eam perstringit, quam Schleierm. I. ad Tim. ep. Quatuor igitur vel quinque epistolis Paulinum nomen eripuit recentior aetas, ad quas, quod quidem sciamus, priori tempore nulla pertinebat certis argumentis suffulta suspicio. Hoc autem, si ab eo discesserimus, quod olim nulla ep. Paulina in suspicionem sit adducta, e conversa plane recentioris critices ratione manasse, facile potest demonstrari. Neque vero parvi aestimem, si quis haec fusius explicare voluerit. Nam quotiescunque respiciam ad hos epistolas notas quasi ἀνωνυμοὺς reddendi conatus, subit mirari, quam quiete adversarii epistolas, quas genuinas esse negant, in canone esse patiantur. Ea autem utuntur praesertim excusatione, quod aliae quoque N. T. partes, et universa scripta, et singula loca jam pridem ab ecclesia in dubium vocata, in publica populi institutione necdum adhiberi desierint. (cf. Schleierm. pag. 14. Löffler pag. 231.) At tantum abest, ut priora librorum a nonnullis rejectorum exempla his nuper editis esse consentanea et congrua, adversariis concedamus, ut ab iis solitos hucusque et usitatos rei criticae limites esse relictos, etiam atque etiam contendamus. Evangelia enim tota, si quaedam vel adeo omnia in suspicionem vocarentur, haec quidem nusquam, et indubie ne Johannis quidem evangelium, sibimet ipsa auctorem adsciscunt, καθ᾽ ὃν scripta esse volunt. Paulinarum autem epistolarum scriptor et in diserta salutatione et in permultarum rerum ad unum Paulum referendarum commemoratione, se esse Paulum affirmat. Quae quidem causae haud scio, an omnino tantum valeant, ut facilius ne unum quidem evangelium ab eo esse scriptum, cui ab ecclesia tribuitur, concesserim, atque etiam Johanneam ep. I. Johanni denegare maluerim, quam ullam ep. Paulinam Pauli non esse dederim.

Evangeliorum particulae quaedam etiamsi optimo jure ejiciendae sint e textu, longe alio loco reprobatio sectionis alicujus, quae facile aut casu irrepere aut de industria interpolari potuit, est habenda, ac totius scripti condemnatio.

Epistolis autem aliis, si quibusdam apostolicae originis honos denegatus est pro his ipsis jam ecclesia vetus certam fidem interponere noluit: easque ἀντιλεγομένοις adnumeravit. Eae vero epistolae, quae nomen Paulinum diserte prae se ferunt, — quod cum epistolae ad Hebraeos desit, ejus quoque rejectio longe differt — tanto Patrum consensu ὁμολογουμένοις adscribuntur, ut propter causas extrinsecus petitas in dubitationem vocari non possint, neque ab adversariis sint vocatae. Quod vero nominatim ad epp. pastorales attinet, praeterquam quod ab omni suspicione liberae habebantur, — nam quod unus Marcion haereticus eas in ἀποστόλῳ suo non habebat, in ecclesia vetere nihil valuit — hae quidem κατ' ἐξοχὴν tot varii generis testimoniis sublevantur, quot pauci modo N. T. libri attulerint.

Ac sicut haec collatio cum reliquis quas Ecclesia canoni adjudicavit N. T. libris, summum confert honorem epp. Paulinis: ita etiam omnes comparatae cum iis scriptis, quae patres a canone amandaverunt, maxime commendantur. Quodsi, an fieri posset, ut Paulo epistola aliqua supposita sit, ea lege judicaretur, quae conspicitur in exemplis fallaci consilio nobis propositis: certo unusquisque negaret, potuisse omnino fieri, ut aliquis nobis Paulum effinxisset. Non est cujusvis Paulinum effingere pectus, recte affirmat Erasmus. Quacum omnium epistolarum apocrypharum una tantum canonicarum comparari possit? fortene cum ep. ad Laodicenos, *) qua nihil praeter phrases aliquot continetur ex epistolis vere Paulinis emendicatas, praecipue ex epistolis ad Galat., Coloss. et Philip-

*) Cf. Fabricius Codex apocryphus N. T. Tom. II. Pag. 873. Tom. III. Pag. 710.

penses? an cum spuria illa ep. ad Corinthios, *) in qua Paulus, ut caetera taceamus, quamvis alias semper liberam suam auctoritatem apostolicam sibi expetat, ad aliorum apostolorum nomen provocat? an cum epp. Pauli ad Senecam, **) quae prae vanis et frigidis salutationibus et gratulationibus ne aptum quidem verbum in medium proferunt, et pariter nomine apostolico, quam philosophico sunt indignissimae?

In omnibus igitur ficticiis epistolis duplex haec ratio conspicitur, ut, si iste, qui Ap. personam induit, aliquid, quod Paulino nomini est aptum, proposuit, Paulina modo repetierit, aut, si ipsorum verborum Paulinorum vestigia deseruit, inepta et inania sit confabulatus. Pastoralium contra epp., ut exemplo utar, materia et forma, adeo non est eadem ac reliquarum epp. Paulinarum, ut hujus ipsius discrepantiae causa in dubitationem vocatae sint, argumentumque omnino tanti est momenti, ut disciplina ecclesiastica inde a primis seculis ex iis sit ducta.

Sed quamvis hanc epistolarum apocrypharum contemplationem multum sane conferre credamus, ut epp. nostras canonicas et rectius dijudicemus et pluris aestimemus: tamen non tanti eam habere fas est, ut Paulinae alicujus ep. adversario inde demonstrari possit, aptiorem nullam epistolam, quam illas, ab homine quoquam fraudulento Paulo potuisse supponi. Quare si, ut omnem fraudis suspicionem a Paulinis epp. amovere tentemus, quaesiverimus, quemnam et qualem ep. alicujus sub Pauli nomine codici sacro subditae conscriptorem fuisse, et quo fraudis consilio eum usum fuisse, cogitare liceat, fortasse certius aliquid assequemur.

Primum quidem id liquido constat, eum, qui aptius aliquid effingere potuerit, plane alius generis

---

*) Ibidem Tom. III. Pag. 671.
**) Ibidem Tom. II. Pag. 883. Tom. III. Pag. 711.

fuisse auctorem, atque ex iis quemquam, e quibus miselli isti libri apocryphi orti sunt. Inquiramus igitur, epp. Paulinarum v. c. I. ad Tim. ep. adversarios, — ex qua quidem acerrime et reliquis justius accusata ep. quae probari possunt, ea etiam magis ad ceteras omnes in dubium vocatas pertinent — quem sibi hujusce epistolae fingant scriptorem. Schleiermacherus quidem plane silentio praetermittere mavult, quis ille fuerit, quam refugere ad vanas conjecturas. Eichhornius autem, — nec Schleiermacherum contra esse dicturum puto — auctorem ipsius Pauli fuisse discipulum concedit: recentiori enim tempori, quam primo saeculo Christiano tribuere epistolam adversarii non audent. Porro iidem, cum ipsi egregia nonnulla contineri epistola (cf. Schleierm. pag. 178.) confiteantur, concedere debent, discipulum illum insignem fuisse Ap. συνεργὸν et, id quod obiter moneo, si certum sit, quicunque Apostolicorum discipulorum excelluerint, eos in N. T. esse memoratos, illius quoque nomen ibi necessario latere. Denique adversarii, eum ne malo quidem consilio usum esse statuunt. — Ex his igitur lineamentis ingenii et morum huic viro tribuendorum imaginem depingere placet. — Obversetur oculis nostris ipsius Pauli discipulus, qui ob id ipsum Pauli res accurate scire potuisse credendus sit. Itaque, si Paulo epistolam supponere vellet, eam temporum inducere potuisset conditionem, quae historiae non repugnaret. Ex adversariorum vero sententia nulli Paulinae vitae aetati epistola convenit, neque unquam fuit ea temporum conditio, quam auctor initio epistolae indicavit. Sed equidem id contra existimo, epistolam, etiamsi disertis verbis ipsi subscriptum esset: „Ego Cajus, apostoli discipulus, hasce litteras effinxi", itaque fraus quam certissima esset, ne huic quidem tribui posse, sed ejus quoque nomini falso subditam esse, nisi omnes aut saltem gravissimae res accuratissime ad vitam Paulinam quadrarent. Itaque interpreti, qui ab apostoli discipulo epistolam

esse suppositam, statuit, inde quod epistolae ratio (I., 3. 4.) a rebus Paulinis discrepare videatur, sententiam suam confirmare non licet. Potius ille quoque, quo, id quod vult, recte statuat, etiam invitus arcessendus est, ut una cum Paulinae originis defensore aliquam vitae Paulinae conditionem epistolae nostrae consentaneam adhibeat, ad quam apostoli discipulus aptaverit fraudem. Nam certe fraudator aliquis nullam certam temporum conditionem proponere malluisset, — e cujus omissione per se nemo fallaciam cognoscere potuisset — quam statum aliquem aut effingere, aut aliquid, quod non satis exploratum haberet, temere conscribere. — At in hoc, quod ultimo loco posuimus, an forte, ultra quam fas est, progressi sumus? An nullo modo excogitari licet, apostoli discipulum quoque erravisse in describendis apostoli rebus? Nonne etiam Lucas in Actis App. componendis interdum erravisse putatur? Sed longe aliud est, in enarrandis multis rebus gestis nonnunquam labi, siquidem scriptorem, ut res inter se cohaereant, etiam minus certas et exploratas lectori reticere noluisse facile conjicitur; aliud in uno facto memorando, quod recte afferre scriptoris, si id, quod animo intenderat, consequi vellet, plurimum intererat. Porro ut, etiamsi quam maximam operam dedisset auctor aliquis ne laberetur, tamen labi potest: ita sane per se non incredibile foret, apostoli quoque discipulum hujusmodi erroris suspectum habere, modo cogitemus, virum hebeti memoria et mediocri ingenii acumine praeditum. Sed insignem nos oportet Apostoli discipulum ob oculos collocare. Neque enim negari potest, epistolae nostrae auctorem fuisse virum singulari sagacitate magnoque ingenio, quo ipsi contingeret, non e duodecim epistolis decimam tertiam conglutinare, — nam ep. habet etiam in aliis non obvia — sed Pauli cogitata fusius et nihilominus saltem satis apte explicare. Prae reliquis ne omittas, non alium nisi hominem satis sollertem et prudentem judicari posse, qui Paulina disciplinae praecepta, quae

Ap. ipse evangelium praedicans, prout ecclesiarum ratio unoquoque tempore poscebat, non nisi disjectis locis tradebat, et quae praesenti sermone eum in modum, ut in hac epistola legimus, congerendi haud facile unquam Paulo causa fuit, — qui hujusmodi singula et quasi dispersa praecepta fraudulenter in unum corpus conjungere potuerit, ut neque fraus, neque quo consilio fraus sit commissa, usquam perspicue possit intelligi. Fraudem enim non cuivis in oculos incurrere, id adversarii profecto dabunt ecclesiae, quae semper epistolam in genuinis habuit.

Fingamus autem in summa hac mentis perspicacia, qua se non destitutum esse, nonnullis locis ostendit auctor, ob alia loca homuncionem in consarcinando studium operamque collocantem eorum similem, qui hodieque duos locos comparantes trepido animo, nec sine sudore tertium concoquere consueverunt. Quam parum hoc congruit et viri moribus et apostolici temporis indoli! Atque ut anxium compilatorem cogitemus, num hic a forma, quam tam multis in Pauli epp. unam eandemque videret, discessisse credendus? Nonne vitasset tam multa nova insolitaque verba, Paulinisque sua accuratissime accommodasset? Ut fuit facillimum Paulinam formam, quantum illius consilium patiebatur, quam constantissime servare: sic in hac re sola cautio erat posita, ne se ipsum proderet. Ne multa: manifesta est repugnantia in eo, quod modo eum auctorem judicemus, qui ita Paulinas epp. in succum et sanguinem converterit, ut in quavis sententia verbis exprimenda Paulinae ei praesto essent dicendi formulae, modo eum, qui, ne novas alienasque a Paulo inveheret, non praecaverit?

Porro auctorem nostrum mente proba fuisse virum nobis fingere jubemur et statuere, totam rem sine ignominiosa fraude esse peractam, et sicut illo tempore sine magno aliquo discrimine et crebro sub praestantium virorum nomine scripta divulgata essent: ita minime fuisse nostro auctori subdolum

consilium dicunt, sed nonnisi piam quandam fraudem ab eo esse commissam. At commiserint sexcenti alii, qui scriptis suis aliorum nomina imposuerunt, fraudem piam: at certe nostrae epistolae auctor, nisi fuit Paulus, impiam fecit fraudem. Quam diligenter Paulus, quum semel ipsi evenisset, ut alius quidam suae epistolae nomen apostolicum inscriberet (2 Thessal. II., 2.), ne saepius tales fallaciae in ipsum intenderentur, eo sibi cavebat, quod epistolis dictatis salutationes sua ipsius manu adderet (2 Thessal., 1 Corinth., Coloss. fin.). Fuisset igitur nefarius aut certe levis animi ac perfidus discipulus, qui hoc modo planam magistri legem migrasset, neque alium ecclesiae, perspecta fraude, eum judicassent.

Quid autem voluit auctor epistolae? Nam nisi quid consequi velit, nemo suscipiet laborem, multoque minus tantum, quantus necessarius erat ad tam multa singula e pluribus epp. congerenda. Si igitur propositum aliquod habuit: id profecto fuit, ut opiniones quasdam disseminaret easque procul dubio, quas in aliis epistolis non repererat, ipsius dico cogitata. Quodsi genuinam epistolam esse negatur, plane non intelligo, cur auctor nihil scelesti committens et ipse ingenio non destitutus ex Paulo depromtis plura de suo admiscere noluerit, quam praecepta de mulieribus viduis, de episcoporum secundo matrimonio, de diaconissis, et admonitiones de caelibatu. (Cf. Löffler pag. 230. Schleierm. pag. 235.) Qua ratione si epistolae propriam quandam medullam inesse concessum est: nemo jam facile Schleiermachero (pag. 210.) dabit, justa de causa dici posse, illam quoque aliunde esse repetitam, neque ab auctore ipso profectam. Num vero credibile est, aliquem operae pretium habuisse, exiguas has particulas, quas e Paulo non desumsit, tot Paulinis orationis flosculis obtegere? num probabile, eum lectorum fiduciam sibi comparavisse longa praefatione e Paulinis verbis hausta, comparatâque eum non usum fuisse ad novum quid et inauditum pro-

ponendum, cui tanta praeparatione et tam copioso quasi velamento opus fuisset? Dissimulatio tam occulta et silentium tam callidum vix est de fraudatoris more, qui, quid velit, id praecipue in adspectum proferre solet, saepenumero quidem hac in re abripi se patiens ad veritatis superlationem. Sin quis crediderit, hominem aliquem callidissimum hanc ipsam ob causam calamum suum tantopere coercuisse, quod haec pauca solummodo edere mallet cum spe, fore ut fraus lateret, quam cum timore, ne fraus patefieret, multa: ne omittat ille, epistolam necessario primo saeculo esse tribuendam, quod, quantopere morum simplicitate excellebat, tantopere ab omnibus literarum aberat studiis. Docto igitur nostri aevi homini, qui scriptorem aliquem effingere vellet, eximiam illam prudentiam tribuere, sane non dubitarem. Probarem mihi, eum sibimet ipsi in conglutinanda nostra epistola leges illas criticas dicturum fuisse, ut quam parcissimus esset in invehendis novis rebus, et novas res, propter quas epistolam componeret, magno sententiarum Paulinarum velamento obtegeret, eumque leges illas, quas sibi constituisset, etiam diligenter adhibuisse ad retractandum et limandum artificium. Tametsi negare nolo, hodie fraudem talem propter temporum distantiam et diversitatem omnino fieri non posse, et hac ex parte primo saeculo minus praepeditam fuisse. Solummodo id denuo inculcandum mihi sumo, rationem tam callidam et compositam ab his ecclesiae incunabulis plane abhorrere, neque tantam astutiam ab homine inerudito — qualem ut nobis fingamus scriptorem, tota epistolae forma nos cogit — juste posse expectari. Quid multa? Nec leges illas criticas potuisset invenire, nisi forte hodierni critici scholas adiisset, et ut leges illas quantumvis perspectas adhiberet, neque fraudem saepius proderet, etiam major scientia ei opus fuisset, quam ipsi illarum legum magistro. Nam aliud est, ejusmodi formulas constituere, aliud eas semper adhibere.

Itaque jam nova aliqua repugnantia in aperto est, ut idem, quem supra fere imprudentem et insipidum cognovimus, nostro loco callidissimus veterator habeatur necesse sit.

Quam vero ob rem apostoli discipulus, qui suis ipsius scriptis gloriam apud ecclesias adipisci posset, periculo se exponere voluerit, ne fraudator infamaretur per ecclesias, equidem plane non intelligo. Multo certe tutius et magnificentius licuit ei, pervenire eo, quo voluit: nempe, ut praecepta de instituendis ecclesiis in lucem proferret eaque adhiberi videret. Quis enim ejus scriptum contemsisset, si sub ipsius haud obscuro nomine in publicum prodiisset? Num dubitare potuit, quin ecclesiae opus suum, quod apostoli praecepta nondum litteris consignata contineret, pronis animis excepturae essent, praesertim si sententiis, quae Apostolus jam litteris mandaverat, suas opiniones applicasset, itaque se nullo modo ab apostoli animo discrepare probasset? Nonne ea quoque, quae ex suo ingenio addidisset, grata fore ecclesiis confidere potuit, modo si auctoritate pollens apostoli discipulus praecepta Paulina copiosius explanasset? Num dubitare potuit, quin et ipse, si quid genuinae Christianae doctrinae plenum edidisset, id secundis auribus acciperetur? Non profecto dubitabat: fingamus eum divinatione praeditum potuisse praevidere, veteris Testamenti scriptis adjunctam iri aliquando Christianorum scriptorum seriem; fingamus adeo, eum et potuisse et voluisse sibi hanc appetere gloriam, ut in illa sibi quoque locus daretur: nullo modo ei ambigendum erat, quin, ut tot discipulorum Apostolicorum scripta canone nostro continentur, ita suum quoque opusculum vero nomine instructum, si modo bene se haberet, omnium saeculorum Christiani essent lecturi. Sane igitur, omni apta fraudis committendae causa Apostoli talem discipulum prorsus fuisse destitutum, quis est, quin videat? Sed fac, ut mirum nescio quid consilium secutus sit, cur Apostoli nomine abuti vellet: quo

tandem modo effecisse eum putaverimus, ut ipsius epistola veluti genuina per ecclesias circumferretur? Equidem probabilem aliquam rationem excogitare non possum. Nam quocunque loco auctor epistolam primo in lucem protulisset, (nam nisi forte eam terris abdens aut subdole alicubi deponens casui permisit, quando detegeretur, quin maxime studuerit, ut quam celerrime divulgaretur, nemo dubitabit) in ea, quae tum erat, ecclesiarum coniunctione brevi post per totam fere ecclesiam lecta fuisset. Enimvero tum temporis omnes Pauli res tam notae erant, ut, si forte in epistola perperam descripta essent, facile fraus posset perspici.

Sin autem quis obiiciat, catholicas etiam nonnullas epistolas quamvis antiquitus in dubium vocatas, tamen canoni esse adscriptas, moneam eum, ne id ipsum praetermittat, quod illae quidem *καθολικαὶ* sive *ἐγκύκλιαι* sint. Illarum cura nulli ecclesiae prae reliquis erat demandata, sed quum ad omnes vel plurimas ecclesias pertinerent, praesertim si illis temporibus litterae exaratae minus cupidis et studiosis alii maioris momenti aut suavioris argumenti libri in dies magis innotescerent: facile evenit, ut epistolae illae et minoris aestimarentur, et rarius propagarentur, et minus crebro circumferrentur. Itaque etiam illud fieri potuit, ut aut revera auctori cuipiam epistolae catholicae, v. c. Petro epistola altera falso adderetur, aut de epistolis vere genuinis, si diu occultae repente ex oblivione eruerentur, dubitaretur. Idem autem litteris singulari alicui ecclesiae aut etiam homini scriptis multo minus et aegre modo accidit: magno enim pretio habebantur epistolae ab iis ecclesiis, ad quas proxime pertinebant, adeo ut posteri urbis aut regionis incolae, quorum patribus epistola talis erat allata, praecipue id sibi verterent honori, et simul cum gloria huius honoris eximiam quandam eamque diligentissimam epistolae conservandae et propagandae curam velut haereditate accepisse sibi viderentur. Epistolas autem pastorales, licet proxime

uni tantum viro essent destinatae, tamen hac ex parte pariter atque epistolas illas ad totam aliquam ecclesiam scriptas, esse iudicatas, quum in iis quoque certae cuiusdam ecclesiae res tractarentur, per se patet. Itaque ut epistola prior ad Timotheum per ipsos Ephesios, praesertim si epistolam, quae sub ipsorum nomine legitur, non sibi solis vindicare possent, ut et ipsi epistolam aliquam quasi privatam haberent, diligentissime custodiebatur et fovebatur: ita, si epistolam talem, quae multis in rebus patrum mores haud admodum honorifice describeret, Timotheus nunquam vere a Paulo ipso accepisset, subjectorem istum quam maxime explosissent. Prae caeteris autem Timotheus ipse, quem fama (cui diffidendi non est causa) diu post Apostoli mortem Ephesi auctoritate floruisse tulit, statim intercessisset, neque nostrae demum aetati reservatum fuisset epistolam e canone amovere, — aliud autem epistolae, si Pauli non est, non destinaverim — sed plane non recepta esset in canonem.

Quare quum iam constet scriptorem, quem nos quidem fraudis reum agere possimus, eum suscipere neque potuisse neque voluisse: sane habemus, cur nomini Paulino tantum confidamus, quantum vix alii sacri codicis titulo. Nullius alius scriptoris tanta librorum series ad nos pervenit, unde tam accurate definiri liceret, quid eo sit dignum; nullus alius tanto Patrum consensu commendatur; nullus alius et ne Johannes quidem, de cuius Apocalypsi dubitatur, propriam suam indolem habuit fideliorem scriptorum quasi custodem, peculiaremque suam orationis vim certiorem propugnatricem, quam unicus noster Paulus. Itaque jam Erasmianum illud: non esse *cujusvis*, invertere placet licetque fortasse, non esse *cujusquam* Paulinum pectus effingere.

Jam nobis ad rem ipsam, quam titulo inscripsimus, accuratius definiendam accedentibus, sicut epistolae prioris ad Timotheum adversarios enumeravimus, ita etiam defensores describendi sunt. Quodsi persecuti erimus: inde etiam illud per se elucebit, cur et qua ratione nos, publice probare jussi, quid hucusque in studiis theologicis profecerimus, potissimum hoc ipsum temporis, quo ep. I. ad Timotheum sit scripta, constituendi argumentum elegerimus.

Qui primus epistolae authentiam contra Schleiermacherum evincendam sibi sumsit, Planckius *), adeo etiam primas in hac re laudes sibi comparavit, ut libelli quidam publici,**) nisi ille quidem vicisset, vix alium unquam victoriam reportaturum esse praedicarent. Quas quidem laudes cum viro doctissimo libentissime concesserim et inter eos, qui post eum minus fuse eandem rem tractabant, praeclarissimos conspexerim theologos, ut Hugium ***), Bertholdtium ****), Wegscheiderum †) et Anonymum quendam ††): sane deter-

*) *Heinrich Planck: Ueber den ersten Paulinischen Brief an den Timotheus, in Beziehung auf das kritische Sendschreiben von Schleiermacher. Göttingen* 1808.

**) *Jenaische Litteratur-Zeitung.* 1809. *No.* 51. *S.* 2. *teste Wegscheidero.*

***) *Einleitung in die Schriften des N. T. Zweite Ausg.* (Editionem tertiam, quae jam prodiit, comparare mihi non potui.) *Zweiter Theil, S.* 346.

****) *Einleitung ins N. T. Sechster Theil S.* 3491 *ff.*

†) *Die Pastoral-Briefe des Apostels Paulus. Erster Theil, Göttingen,* 1810. *S.* 9 *ff.*

††) *In einer Recension über Eichhorns Einleitung ins N. T., in Bengels Archiv. Theil I. S.* 338. Quum recensionis auctorem quamquam nomen suum non profitatur, Süfskindium esse fere certum sit, (laudat aliam, quam diserte suo nomine inscripsit, dissertationem: *Neuer*

ritus eram, ne ad hanc gravissimam rem pertractandam me accingerem. Simul mihi profitendum est, me ipsorum meorum studiorum ratione, quae circa sacrae scripturae interpretationem spectant, potissimum esse adductum, ut hoc solum, quod proposui pertractandum eligerem. Nam cum saepius pervolvens epistolam mox propria illa, quam sentire mihi videbar, ingenii Paulini indole mirifice allectus, quovis fere pignore contenderim me Paulina legisse, mox acerrima adversariorum, quam statim refellere non possem, criminatione perturbatus, paene desperaverim, epistolam vitae Paulinae posse accommodari, intentius desudavi, ut epistolae mihi propter multas res suavissimae authentiam cum aliquo vitae Paulinae tempore conciliarem. Quod si effecissem, caetera omnia, quae adversarii praeterea contra epistolae authentiam monuerunt, a celeberrimis illis defensoribus jam optime esse refutata, aut facilius refutari posse mihi videbantur, adeo ut, omissis reliquis aliquot difficultatibus exegeticis et historicis, quaestionis cardinem in tempore ponerem, quo epistola scripta esset, constituendo. Sed in hoc ipso, quod, quo magis in epistolae familiaritatem me insinuarem, eo magis mihi cordi erat, Planckium consulere non satis erat. Nam cum Schleiermacherus (P. 117—127.) de epistolae tempore definiendo brevissime disputasset: ille quoque, qui adversarii vestigia premit, majorem operam dare noluit ad hanc, qua epistola laborat, difficultatum partem tollendam. Porro inter eos, a quibus refutabatur Eichhornius, qui inprimis propter suam aevi apostolici computationem epistolae fidem dare noluit, Bertholdtius, quem omnem veritatis speciem neglexisse de Wettius quoque judicat, satisfacere mihi non potuit. Neque Hugius, quamvis in gravissimis rebus ei assen-

---

Versuch über chronologische Standpunkte für die Apostelgeschichte und das Leben Jesu. Bengels Archiv Th. I. S. 156.) in posterum brevitatis causa ejus nomen proferre liceat.

tiar, id quod statuit, satis fuse et satis enucleate proposuit, neque potuit quidem proponere pro universo cujusque introductionis in N. T. consilio. Nostra igitur cum maxime interesset, ut quam certissimam aliquam et exploratissimam computationem assequeremur, quae optimo jure plurimas res definiret: prae reliquis id nobis agendum erat, ut et omnes N. T. locos, qui tempori constituendo inservirent, conferremus, ac si, id quod inde comprobare vellemus, non e vestigio ederent, accuratius inquireremus, et ne id, quod nobis probavissemus, arbitrario constitutum esse videretur, etiam gravissimas interpretum opiniones afferremus, allatasque cum nostra compararemus. Qua quidem ratione nobis omnem vitae Paulinae cursum perlustrantibus, cum accidere possit, ut in plura temporis puncta incidamus, quibus propter historicam verisimilitudinem eodem aut parum diverso jure epistola tribui possit: sane, quo certam aliquam sententiam, firmo stabiliamus, nova aliqua, ex qua judicemus, lege opus est. Itaque totam rem ita absolvendam esse putavimus, ut, expenso jam historico epistolae argumento, collatisque omnium opinionibus, etiam universam epistolae conditionem et inprimis orationem ad temporis definitionem decernendam adhiberemus. Initium autem disputatiunculae ita instituendum esse, ut pauca de universa epistolarum Paulinarum authentia praemitteremus, credidimus. Nos enim I. ep. ad Tim. a Paulo esse scriptam magis ponere, quam probare volentes mox intelleximus, etiam nostram rem quaestionem illam saepius tam prope attingere, ut eam prorsus seponere non liceret. Quamvis igitur absolutam epistolae defensionem propter magnam et adversariorum et defensorum praestantiam et ingenii et juventutis imbecillitatem profiteri non simus ausi: tamen de omnibus Pauli scriptis et exempli causa de epistola I. ad Tim. praefati, ea, quae in libello ipso plerumque omisimus, supplere voluimus.

Jam

Jam universos fontes, e quibus nobis hauriendum sit, circumspicientes, nos, cum in omni hoc genere critico, tum in nostra quaestione, sola Acta et epp. Paulinas adire posse, unde id quod volumus probetur, per se patet. Quorum quidem in ipsa nostra re impeditissimus est aditus et usus, propterea quod ea, quae Lucas et quae Paulus tradit, inter se discrepare videntur. Ita hoc maximae interpreti curae esse debet, ut utrumque componat, e compositoque certa et probabilia constituat. Quod contra negligentes plurimi nodum non solverunt, sed praeciderunt, ita, ut aut Lucae plus tribuentes Paulum imminuerent, aut Paulum praeferentes Lucam rejicerent, aut modo hunc modo illum adhibentes testem, uter eorum patientissime vellet perferre critici licentiam, ejus se imponerent humeris. Quare, ut critica aliqua lege nobis dicta arbitrario agere plane vitemus, enixe cavebimus, ne, nisi acerrime coacti — sed vix unquam cogemur — sive Actis Apostolorum sive Pauli epistolis errorem aut negligentiam demus crimini, et si qua in re Paulus et Lucas inter se dissentire videantur, eam omni modo, et salva utriusque fide, salvoque naturali utriusque scriptoris sensu, componere studebimus. Itaque ut quaeque temporis definitio utrique fonti maxime est congrua, ita, dummodo caeteroquin sanae rationi sit consentanea, maxime nobis probatur.

Primarius autem fons, ad quem omnis nostra disputatio semper recurrere debet, est ipsius epistolae locus Cap. 1, v. 3 et 4. Propter hos enim solos fere versus litterae nostrae certum sibi exposcunt in vita Paulina locum, ita ut, et quae alibi in iis ipsis leguntur, et quae ex Actis Apostolorum, aliisque Pauli epistolis colligi possunt, omnia huc sint referenda. Itaque structuram et sensum illius loci accuratius paulo indagare oportet, idque fecisse eo minus nos pigebit, quo saepius valde contorta eum explicandi difficultas interpretes quosdam fefellisse videbitur.

Simplici et libero animo quisquis versus 3 et 4 perlegerit, statim in structura verborum propterea haerebit, quod ἀπόδοσις, quam vox καθὼς poscit, non sit in promtu. Ad quam quidem difficultatem tollendam interpretes duplicem viam ingressi sunt: alii verba extorquentes, ἀπόδοσιν diserte expressam esse sensumque omnibus numeris absolutum effici posse judicarunt; alii, ἀπόδοσιν deesse et aliunde adsciscendam esse dixerunt. Priorum antiquissimus, in quem incidimus, est Castellio, qui ut ἀπόδοσιν ex verbis ipsis extricet, versum nostrum hunc in modum latine reddit: „Quemadmodum „ego te in Macedoniam proficiscens, cohortatus „sum, maneto Ephesi, ut quibusdam denunties" caetera. Sed hujusmodi Infinitivi (προςμεῖναι) usum pro Imperativo plane esse ineptum, per se patet.

Alio modo Grotius vertit: „quandoquidem ea de causa ibi relictus es, fac quod mandavi"... Sed particula ἵνα per se Imperativum indicari neque ex alio ullo scriptore, neque illo loco, quem unum *) V. Cel. ex N. T. proposuit, confirmatur, multoque minus eo loco, quem Paulus, theologus Heidelbergensis **), in hac particulae ἵνα explica-

*) Ephes. V, 35: quo loco cum toto nexu modus Imperativus indicetur: verbum λέγω aut simile quid, unde conjunctio pendeat, si quo supplemento opus sit, facillime suppletur; haud eandem nostri loci esse rationem, ubi in ipso verbo omisso et orationis perspicuitas et sententiae vis posita est, vix est cur addam.

**) Commentatio de tempore scriptae I. ad Timotheum atque ad Philippenses epistolae Paulinae. Jenae 1799. IV.; quam quidem laudans, cum ipsum viri Cel. librum nancisci non potuerim, modo ex iis argumentor, quae Bertholdtius (l. c. pag. 3608.) inde excerpsit. Locum, quem Paulus praeter l. Ephes. V. affert, 1 Corinth. XVI. 10, cum ipsum verbum regens: βλέπετε diserte legatur: multo minus etiam cum nostro loco comparare licet, quam priorem. Sin forte ad verba insequentia: μή τις αὐτὸν ἐξουθενήσῃ spectaverit V. D.: hac ex parte longe alius conjunctionum μὴ atque ἵνα est usus. Nam μὴ saepissime absolute ponitur (Cf. Matth. V, 17, X, 34 caett.).

tione Grotium secutus laudavit. — Igitur si omnes, quos proposuimus, e verbis ipsis eliciendi ἀπόδοσιν modi cum sanis grammatices praeceptis conjungi non possunt, jamjam rejecti ad posterioris interpretationis genus, aliunde atque ex verbis v. 3 et 4, ut sumamus ἀπόδοσιν cogimur. Sed ita quoque duplex patet via, ut aut verbis, quae versum 4 sequuntur, aut plane nullis, quae epistolae insunt verbis, expediri posse sententiam statuatur. Itaque adhibita priori ratione, verba inde a v. 5 usque ad v. 18 in parenthesi legentes, in v. 18 ἀπόδοσιν inesse volunt interpretes, v. c. Hugius (l. c. pag. 348.) Sed quis credat, ἀπόδοσιν per ingens hoc tredecim versuum spatium a πρότασι potuisse sejungi? Praeterea cum etiam v. 18 verbum ὅτως non legatur, etiam admissa parenthesi, difficultas grammatica non tollitur. Quare jam altero loco ἀνανταπόδοτον, quod Grammatici vocant, statuentes, solo ad sensum habito respectu suppleamus ἀπόδοσιν, necesse est. In hac explicandi ratione nobis praeit Bretschneiderus (Lexicon N. T. sub verbo καθώς). Qui quidem locum quoque affert Marc. XV, 8, ubi eadem vox καθὼς supplemento eget: verbis enim καὶ . . . (ὁ ὄχλος) ἤρξατο αἰτεῖσθαι, καθὼς ἀεὶ ἐποίει αὐτοὶς addendum est: ὅτως καὶ νῦν ποιεῖν. Simili modo Rom. IX, 22 conjunctio εἰ nusquam ἀπόδοσιν invenit, sed ἀνακολούθως v. 24 enunciatione relativa finitur periodus. Inter varia verba, quae nostro loco suppleri possunt, ut οὕτως πρόσμενε, οὕτως παράγγελλε aptissimum Bretschneideri supplementum esse videtur, quod e primo et principi versus membro: καθὼς παρεκάλεσά σε est desumtum. Quare Viro Doct. cum vocabula οὕτως καὶ νῦν παρακαλῶ σε addenda esse statuit, toto pectore calculum adjicio.

Sin autem ad versuum nostrorum sensum spectamus, ne supplemento quidem, quod iis addidimus, recepto, quae tandem sit ratio inter Apostoli ad Macedones iter et epistolae scriptionem, satis definitur, sed duplici modo versus intelligere licet.

Apostolus verba: καθὼς παρεκ. σε πορευόμ. εἰς Μακ aut ita praemittit, ut ex ipso illo itinere, quod narrat, in Maced. fuisse et indidem epistolam nostram misisse, aut ita, ut in epistola alio, quoquo esset, loco et tempore conscripta, ea quae in nostris versibus leguntur, quamvis jampridem facta essent, sibi et Timotheo in memoriam revocasse putandus sit. Prior igitur si statuitur ratio: in ipsa προτάσει: καθὼς . . . non solum, quae fuerit praeterita Pauli proficiscentis et Timothei relicti conditio, legitur, sed inde simul, quae fuerit praesens Apostoli epistolam scribentis et Timothei eam accipientis status, colligere licet. Posterior contra si praefertur: in sola ἀποδόσει, quam omisit Apostolus, praesentem conditionem indicare voluisse et πρότασιν, quae, cum res longe praeteritas enarraret, proxime nihil afferret ad epistolae tempus definiendum, propterea praemisisse putandus est, quod nunc ipsum (οὕτως καὶ νῦν παρακαλῶ σε) cum epistolam, ubicunque esset, componeret, Timotheo similia quaedam praeciperet, ac tum, cum in Maced. proficisceretur. Ad alterutram harum explicationum, excepta Pauli interpretatione, quae ad neutram accurate quadrat, referri possunt omnes temporis constituendi modi; quos jam annorum seriem servantes accuratius persequamur.

Prior quidem explicatio, ut per se est promtissima, ita quoque ab omnibus praeter Paulum, quos consului, interpretibus accepta est. Id in quo omnes fere conveniunt, hoc est: *Timotheum a Paulo in Macedoniam proficiscente, Ephesi esse relictum, et ut olim a praesentis apostoli ore mandata quaedam acceperit: ita eum nunc ab apostolo absente, dum aut Macedoniam peteret, aut ibi versaretur, his litteris esse monitum.*

Ephesi Paulum fuisse, primo legitur Act. XVIII, v. 9. Sed cum tum temporis ipsius ecclesiae Ephesinae fundamentum jactum sit, et Paulus non in Macedoniam, sed Hierosolyma profectus esse dicatur: hocce tempus huc prorsus referri non potest.

Iterum et in longius quidem tempus Apostolum Hierosolymis reversum, peragrata Galatia et Phrygia apud Ephesios versatum esse, Act. XIX legitur. Inter quos quam diu fuerit, varie relatum est in Actis; Lucas quidem biennium et tres menses ibi eum consumsisse prodit; contra Paulus ipse, cum profecturus Hierosolyma presbyteros Miletum convocatos alloqueretur, se tres integros annos apud eos commoratum esse affirmat. Qua quidem diversitate nixus, Moshemius *) a reliquis interpretibus valde discrepat: qui contendat, Paulum, tribus illis mensibus ibi docendo in synagoga insumtis, per novem menses, quibus Apostolus et Lucas inter se differrent, in Macedoniam iter fecisse, et relicto Ephesi Timotheo ex illa regione scripsisse hanc epistolam, qua ipsum de condenda ecclesia Ephesina institueret. „*Jam si Timotheo Ephesi versanti P. ejusmodi munus injunxerit, se non facere posse*, dicit Moshemius, *quin epistolam tam maturis temporibus tribuat. Post trienne enim Apostoli munus inter Ephesios, si epistola sit scripta, se intelligere non posse, quomodo tam rudis et mancus rerum Ephesiarum status resederit, ut Timotheus ecclesiae rationes demum constituere juberetur.*" At ecclesiae primordia condere Timotheus nusquam jubetur, sed, quae jam erant instituta, servare et emendare. Neque ea in re liquet, quo jure Moshemius Acta App. incertae fidei insimulet. Quod enim Bertholdtius (pag. 3358) hoc nihil momenti habere perhibet, si Lucas de illo Pauli itinere in Macedoniam suscepto nihil retulerit: in eo Viri Cel. conjecturae nimis indulsisse videtur. Qua in re eo minus laudandus est Bertholdtius, quod ne apto quidem et firmo exemplo Lucae negligentiam demonstravit. Loco enim ep. ad Rom. XV, 14 quo solo utitur exemplo, cum minime legatur, apostolum in Illyriam, sed tantum

*) *Erklärung der beiden Briefe an den Timotheus S. 48 ff.*

eum usque ad hanc regionem (μέχρι Ἰλλυρικοῦ) Macedoniae adjacentem esse profectum: Lucas quoque, itinera memorans Macedonica, quibus Paulus fines Illyricos attigit, hoc ipsum μέχρι Ἰλλυρικοῦ iter omisisse dici non potest. Alias autem a Luca multa, quae ad illius aetatis historiam pertinent omissa esse, constat. Quis enim nescit, neque Titum, quem P. ipse carissimum et probatissimum habuit socium, (2 Corinth. II, 12, VIII, 23.) in Actis omnino adscribi Paulinorum comitum numero, neque Timotheum Athenis ad Thessalonicenses (1 ep. III, 2. 6) esse missum a Luca enarrari? Quamquam igitur ab Actis Apostolorum multa esse omissa infitias iri non potest: tamen an hoc in nostram causam cadat, sedulo est inquirendum. Primo Lucas, qui antea iter Hierosolymitanum celeriter confectum, et postea trimestrem apud Corinthios praesentiam non silentio transit, grave novem mensium iter ad Macedones saltem indicasset. Nam Paulum nonnisi gravissimis rationibus adductum a provincia recens inter Ephesios suscepta decessurum fuisse, quis est, quin videat? Haud levis igitur criminis Acta a Moshemio et Bertholdtio accusantur et tantopere in hac re reprehenduntur, quantopere vix unquam in alia causa. Praeterea Paulus ipse, coram presbyteris Miletum arcessitis (Act. XX, 17) se per totum illud tempus, ex quo in Asiam ingressus esset, apud eos, qui Mileti congregati erant, perpetuo versatum esse (ὑμεῖς ἐπίστασθε ἀπὸ πρώτης ἡμέρας, ἀφ' ἧς ἐπέβην εἰς τὴν Ἀσίαν, πῶς μεθ' ὑμῶν τὸν πάντα χρόνον ἐγενόμην), quam gravissime affirmat, et commemorat v. 31, ὅτι τριετίαν νύκτα καὶ ἡμέραν οὐκ ἐπαύσατο .... νουθετῶν ἕνα ἕκαστον. Quod quidem cum de se profiteatur, licet sane breve illud deversorium, post quod Hierosolyma tetendit, omiserit, idque fortasse eam ob causam, quod tum temporis Ephesi nullis adhuc evangelium persuaserat: tamen haud facile quisquam verborum vim adeo infringet, ut Apostolum, reversum Hierosoly-

mis, Asiam iterum reliquisse, neque nunc quidem τὸν πάντα χρόνον in his regionibus commoratum esse judicet. Sin autem πρώτη illa ἡμέρα ita computata esse existimaretur, ut initium temporis, quod e Macedonia redux inter Ephesios transegisset, indicaretur: Paulus quamquam τριετίαν νύκτα καὶ ἡμέραν iis interfuisse asseverat, binos modo annos apud eos fuisset, totumque annum tertium omnino mendaciter addidisse censendus esset. Itaque cum Moshemii sententia nullo modo sustentari possit: caetera ejus argumenta, in quibus refellendis non dissentimus a Bertholdtio, missa faciamus.

Jam aliud, quo epistolam scriptam esse interpretes proponunt exhibentes tempus, bono quasi statim gaudemus omine, quod non merae conjecturae confidamus, sed, quo nitamur, habeamus in Actis App., certum fundamentum. Nam Paulum revera Epheso in Macedoniam profectum esse, Act. XX, 1 legitur. Quem quidem locum tenentes interpretes plurimi iidemque nobilissimi, Michaelis (Einleitung ins N. T. §. 169 p. 1047), Heinrichsius (Commentarius ad epistolam nostram in editione Koppii Prolegg.) Süsskindius, Hugius, Vaterus (Edit. *N. T.* p. 629) caett., ut propter sententiarum varietatem ea tantum, in quibus cuncti consentiunt, complectamur, ita statuerunt, epistolam esse scriptam, cum Apostolus tum temporis Epheso decedens in Macedoniam proficisceretur. Quam quidem sententiam cum epistolae amici probandam sibi potissimum sumserint, adversarii autem hanc ipsam ob causam evellere iis maxime studuerint: quam diligentissime eam excutiamus necesse est. Implicatissimam autem hanc rem ita persequemur, ut quaeramus: quomodo illa sententia quadret ad ea, quae disertis luculentisque verbis epistola tradit. Nam quae absconditiora sunt, cum in dubitationem vocari possint et interpreti varium fereque arbitrarium usum admittant: ea, donec certum quid consecuti fuerimus, a-

ptius omittentur. Itaque jam singula epistolae loca perlustremus.

I.

Legimus versu tertio verba: *Πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν.* Quare quando Apostolus Epheso profectus sit in Macedoniam nobis est inquirendum. De quo antequam statui quid possit quam diu Ap. Ephesi commoratus sit, ostendere oportet. Supra jam attigimus duplicem quandam legi in Actis temporis, quod Apostolus inter Ephesios transegerit definitionem. Lucas (Act. XIX, 8. 10) Apostolum tres menses in synagoga et binos annos in Tyranni cujusdam auditorio docuisse refert; Paulus contra (Act. XX, 31) coram presbyteris Ephesiis, se tres annos eos esse cohortatum, memorat. Quod si Lucas totum tempus, per quod Paulus Ephesi docuerit, designasse creditur: utriusque dissensio est manifesta. Quam ita expedire interpretes assolent, ut *τριετίαν* illam numerum esse affirment, quem nos dicimus rotundum, qui a Luca (Cap. XIX) distinctius sit descriptus. Tametsi evenire potuisse per se negari nequeat, ut Paulus negligentius quid dixerit: haud scio, an verisimilius sit, eum hoc nostro loco non in erroris suspicionem vocari. Nam cum id ageret, ut presbyteris indefessam suam pro ecclesia ipsorum curam in memoriam revocaret et comprobaret: ne in annis commemorandis laberetur et vel novem menses supra adjiceret, Paulo, praesertim mox abituro, maxime erat cavendum; quod si neglexisset, paene grandiloquus iis apparere debebat. Sin contra Lucas tempus brevius posuisse statuatur, id multo etiam est ineptius. Nam hoc potissimum loco Lucas illorum temporum cognitionem tam accuratam prodit, ut vel mensium numerum addiderit. Quare etiamsi Lucae verba haud necessario ad unguem sint resecanda: tamen eum IX menses praeteriisse vix est credibile. Quum igitur utri errorem tribueris, sive Paulinum locum restrinxeris, sive Lucae narrationem dilataveris, nec prius, nec posterius satis probabile sit: nonne potius discrepantiam hanc ita dirimere studebimus, ut lege, quam

nobis constituimus, servata, omnibus locis, quae huc pertinent, nativam suam vim illaesam integramque relinquamus? Nonne utrumque accuratissime narrasse, rectius putabimus? Quocirca cum modo propterea in difficultatem incidimus, quod Lucas et Paulus ejusdem rei tempus computare voluisse putabantur, illud praesertim excutiendum est, an vere Lucas Act. XIX in eodem tempore definiendo versetur, quod Paulum inducit definientem. Quod quidem addubitandi in eo statim cernitur copia, quod vix fieri potuerit, ut Lucas, ejusdem rei idem narrator, ea, quae capite demum antecedente traduntur, inter se discrepare non animadverterit. Invenimus quidem etiam alibi Lucam in rebus similibus narrandis a se dissentientem, ut in describenda Pauli conversione (Act. IX. XXII. XXVI.), neque operam collocantem in controversia dirimenda. Sed etiamsi concesserimus, hos locos non posse conjungi: tamen non dabimus, nostram causam cum illa apte comparari. Nam in ipsa miraculosae visionis natura positum est, ut facile diverso modo circumferri possit inter homines, et sicut Paulus ipse sibi non constat in duplici sua narratione: ita Lucas quoque ad rem per se tam obscuram plane illustrandam nihil facere potuit. An vero tantae negligentiae, quanta nostra in re Lucae tribuenda esset, simile aliquod exemplum in totis Actis deprehendatur, vehementer dubito. Quare cum Lucas loca inter se non pugnare credidisse habendus sit: nobis quoque non r e p u g n a n t i a, sed solummodo d i s c r e p a n t i a inter se apparere debent. Et id quidem interesse inter utrumque locum facile intelligitur, quod Lucas χρονικῶν scriptor, praeter tempus etiam locum, quo Paulus docuerit, definivit. Qui cum non semper idem esset, sed diverso tempore diversus, III mensium et II annorum numerum non uno tenore effundit, sed hunc numerum ab illo sejungit (l. c. v. 8 et 10). Paulus contra concionator, cujus, quem in locum ecclesiam convocaverit, nil intersit commemorare, totum annorum numerum

quem sibi tribuit, una voce (τριετία) edit. Lucas cum maxime ipsi cordi sit, ut, quo animo Judaei et quo ethnici exceperint praedicationem, describat: hac sola de causa et quo loco et tempore Paulus docuerit, indicat, quid? tempus modo obiter definit. Itaque si ipsorum verborum vestigia premimus, nil praeterea constituit Lucas, quam quantum temporis synagoga et schola Tyranni usus sit Paulus, et quominus Paulum diutius alicubi versatum esse arbitremur, nil nos prohibet. Verum enimvero quid tandem aut verbis illius ipsis aut eorum nexui inest, unde non modo perspicuum et necessarium sit, sed aliquantum probabile, Lucam id agere, ut tempus constituat, quod Paulus Ephesi commoratus sit.

Paulo autem, a quo totum, quod inter Ephesios fuit, tempus perhibitum esse, certissimum est, ut triennis muneris Ephesini gloriam recte vindicemus et nostram sententiam non solum cum priori Lucae testimonio (Act. XIX), sed etiam cum Actis universis, et cum epistolis Paulinis apte conjungamus, prae reliquis nobis explicandum est, quando Apostolus Ephesum advenerit. Qua in re, teste Hugio (l. c. p. 288), qui aptissime computasse nobis videtur, anni LVI tempus vernum statuimus, quo Paulus Corintho relicta, in Syriam navigaverit (Act. XVIII, 18) Ephesumque nactus post actam Hierosolymis ἑορτὴν (l. c. v. 21. *) reditum ad Ephesios promisisse tra-

*) Quem quidem versum omni ex parte esse genuinum et Apostolum revera festum aliquem Hierosolymis celebrasse contra Kuinoelium (Comment. ad h. l.) contendo, quod, cur verba sint omissa, facile, cur sint interposita, prorsus non conjici possit. Nam cum propter solum versum 18 fere ambiguum esse videretur, utrum Paulus an Aquila votum suscepisset, dummodo ne v. 21 Paulus (solvendi ejus causa) Hierosolyma petiturus fuisse diceretur, ecclesia vetus, ut Paulum εὐχὴν habuisse negare liceret, verborum: Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα, omissionem libenter tulit. Contra prima saecula Christiana, quae, ne Judaici ritus no-

datur. Ad quos quidem, quando reversus sit Ap., hoc inde pendet, quem festum celebraverit Hierosolymis. Qua in re cum jam tempus vernum constituerimus, modo e duobus festis unum eligere licet, paschali puta et pentecostali. Hugius quidem (pag. 282) pentecostam intelligendam esse censet, propterea quod Ap. profectus verno tempore viam inter Corinthios et Hierosolymitanos usque ad festum paschalem perficere vix potuerit. Sed cum dies XIV mensis Nisan in Aprilem *) nostrum cadat, et etiamsi Paulus sacra paschalia, quae usque ad XXI d. m. Nisan celebrabantur, Hierosolymis egisset, cum statim ab initio festi ibi adfuisse non necesse sit, quid? an omnino cogitari non potest, Paulum, relicta sub m. Martii initium Corintho, Ephesum itinere maritimo eoque fausto appulsum ibique paucos modo dies commoratum partem saltem festi paschalis Hierosolymis egisse? Quodsi, etiam Süsskindio arbitro (l. c. p. 320), qui a Paulo iter illud infra unum mensem et dimidium confici potuisse putat, statuerimus, τριετίαν illam usque ad ultimum fere mensem persequi et exigere poterimus. Nam 1 Cor. XVI, 8 Ap., se usque ad pentecosten Ephesi mansurum esse, scribit; id quod optime nobis convenit. Nam cum iter per Galatiam et Phrygiam, quarum

---

stris sacris immiscerentur, vehementissime repugnabant et timebant, nullo modo tulissent, ut verba quaedam, quibus corruptela aliqua a Paulo ipso ad religionem Christianam adhibita esse videbatur, a subjectore quodam adscriberentur. Ex simillima quoque causa Gal. II, 5 lectionis orta est varietas, et cum ex Act XVI, XXI, 23 Paulum Judaicis ritibus se accommodasse (1 Cor. IX, 20), sciamus, non habemus, cur admodum miremur, quod Paulus hic quoque talem se gesserit. Praeterea vox καταβὰς, nisi eam omni sensu carere statueris, Paulum vere Hierosolymis fuisse indicat.

*) Teste de Wettio (Archaeologie pag. 211) Josephus Antiqq. I, 33 Judaeorum mensem Nisan Macedonum mensi Ξανθικῷ, quem Riemeri Lexicon nuncupat Aprilem, aequiparat.

ecclesias solummodo obiter spectavit et confirmavit (ἐπιστηρίζων), Apostolum per Antiochiam Ephesum profecturum nihil fere retardare posset, eum haud multo post pentecosten Hierosolymis Ephesum advenisse, per se est probabile. Qua quidem ratione si Paulum ipsum secuti ducem, ponamus eum tres totos annos a pentecoste a. LVI usque ad pentec. a. LIX inter eos esse versatum, quos Miletum convocavit: hoc ipso nostra computandi ratio reliquis praestat, quod binis locis 1 Cor. XVI, 8 et Act. XX, 31 plenum, qui ipsis inest, sensum tribuere licet. Sin contra l. Act. XX spernentes, l. Act. XIX amplectimur, nullo fere modo l. 1 Cor. XVI integro sensu intelligi potest. — Etenim si duos annos et tres menses a pentecoste anni LIX detrahimus: incidimus in Februarium vel Martium anni LVII. Inde sequitur, Apostolum, si anno LVI festum paschalem Hierosolymis fecit, totum fere annum, si pentecosten, IX menses ab Ephesiis abfuisse. Quod revera et cum ipsis Actis et cum probabili rerum gestarum ordine parum consentit. Nam cum Ap. Ephesiis redire promisisset: quid nobis probabimus, cur multum temporis in ecclesia Hierosolymitana et Antiochena contriverit, ubi affatim erant, qui evangelium praedicarent? Eodem modo Galatia et Phrygia obiter perlustrata, ita ut totum iter per paucos menses conficeret, ubinam Ap. postea versatus esse putari potest? Nisi forte aliud iter, quod Acta non commemorant, conjectura adhibeatur: nusquam nisi inter Ephesios. Quare interpretes, cum ipsi, Paulum demum mensi Martio anni LVI ad Ephesios esse reversum non credant, ut III mensium et II annorum ratio cum l. 1 Cor. XVI concurrat, Paulum prius quam pentecoste LXIX Ephesum reliquisse sibi fingunt (Vid. infra).

Sed an forte verisimile est, Lucam novem illos menses omnino omisisse? Etiam hoc dicere non ausim, sed potius illud existimaverim, sane alicubi in Actis novum quoddam tempus, quod III mensibus et II annis non contineatur, latere posse. Tentemus

igitur duplicem rationem, qua Lucae computatio Paulinae accommodetur. — Novem illi menses, quos Lucas neglexisse videtur, aut tribus mensibus, per quos colloquia in synagoga esse habita ab Apostolo versus 9 tradit, praemittuntur; aut duobus annis, per quos ἐν σχολῇ Τυράννου docuisse narratur, postponuntur. Nam III illos menses et II annos alio tempore interposito segregari non posse per se patet. Primum Paulum in synagoga III menses disputasse, non ita dicit Lucas, ut Paulum, simulatque advenerit Ephesum, statim synagogam adeuntem fingamus utique necesse sit, sed ante v. 9 fusius fere per versus 2 — 7 duodecim Johannis discipulos esse baptizatos narrat. Quodsi nulla alia Acta inter se componendi pateret via, sane fieri potuisset, ut P. vel IX menses synagogam non visitasset, sed interim alio aliquo auditorio esset usus, aut etiam privata Johanneorum discipulorum institutione prorsus esset distentus. Non semper enim ut prima pentecoste homines ter millenos christianorum numero esse adscriptos per se patet, et ex Actis ipsis satis comprobari licet. Praeterea plures etiam per hoc tempus esse baptizatos a Luca non negaretur. Attamen Paulum per tot menses synagogam opportunissimum evangelii praedicandi locum, qui, cum unicuique Judaeo, tum imprimis praeceptori erat apertus, non intrasse, vix est probabile. Potius alias ut in synagoga disputet, identidem petunt ab Ap. Judaei (Act. XV, 15. 42), et eodem modo ipsa in Epheso, ubi jam (Act. XVIII, 19) in synagoga fuerat, ut diutius maneat, eum rogant. Et causa quidem, cur Lucas, quamvis Ap. Hierosolymis reversus statim synagogam adiret, tempus, per quod adiret, v. 8 demum definiverit, facile inde derivatur, quod ad ipsam Apolli conversi discipuli Johannei mentionem (Act XVIII, 24) ejusdem generis plures esse baptizatos continuo addere voluerit.

Quocirca jam posteriorem IX illos menses intercalandi locum inquiramus, eumque nisi fallimur, aptiorem inveniemus. Nemo facile infitias

ibit ipsis verbis: Ὡς δὲ ἐπληρώθη sectionem quasi Paulini muneris inter Ephesios indicari. Ut verba v. 20: οὕτω κατὰ κράτος ὁ λόγος τοῦ κυρίου ηὔξανε καὶ ἴσχυεν postulant, ut jam satis diu evangelium praedicatum sit Ephesi: ita quoque ipsum verbum πληροῦσθαι, quod proxime ad res gestas inde a v. 13 — 20 narratas spectat, eas per longum temporis spatium sensim sensimque esse praeparatas et perfectas ostendit. Nostro loco (Act XIX, 21) res Ephesinas ad gravem aliquem exitum et eventum pervenisse etiam exinde patet, quod Ap. nunc ipsum Timotheum et Erastum — quippe quorum opera propter ipsos feliciores evangelii profectus Ephesi facilius carere posset — in Macedoniam praemittens de suo itinere constituisse dicitur. Nihil vero obstare, quominus Paulum ipsum IX demum menses postea Epheso discedentem nobis fingamus, facile demonstratur. Nonne enim Lucas apertis verbis χρόνον adhuc εἰς τὴν Ἀσίαν ἐπεσχηκέναι Paulum refert? Vocem autem χρόνον addito, quod sibi postulat, et aliis in locis (Act. XVIII, 23. 1 Cor. XVI, 7) secum habet, supplemento τινα plerumque longius temporis spatium significare, quis est, quin sciat? Deinde formula quoque κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, in quo Bertholdtio (pag 3353) contradicimus, tam ambigua et late patenti utitur Lucas (cf. Kuinoelium Prolegg. ad Act. p. XIX), ut non miremur, quod nostro loco ad satis longum novem mensium spatium pertineat. Insuper idonea causa conjici potest, cur Lucas Paulum praeterlapsis II annis, etiamsi Ephesiis diutius affuisset, in schola Tyranni docere perrexisse narrare nequiverit. Nam cum quotidie in σχολῇ Τυράννου disputasse dicatur Ap., duobus annis peractis doctoris nescio cujus privati scholam evangelium audiendi cupidos non amplius cepisse, facile suspicamur. Quid? quod ipsum fere nonum mensem antequam P. Epheso decederet, evangelio laetiora attulisse incrementa, inde probari licet, quod in 1 Cor. XVI, 9, quae inferiori aetati tribui nequit, quam septimo ante pentec. a.

LIX mensi (Vid. infra) feliciorem evangelii profectum nuper incepisse his verbis praedicat: θύρα μοι ἀνέῳγε (quae vox aliquod recens praeteritum, quo Ap. ampliorem evangelii divulgandi provinciam sortiri coeperit, tempus innuere videtur) μεγάλη καὶ ἐνεργής. Quo quidem miro consensu inter locos 1 Cor. XVI, 9 et Act XIX v. vicesimo haud exigua data esse videtur causa, ipso vicesimo primo novam temporis sectionem incipiendi, quae versu nono nondum continebatur. Nam locum epistolae ad Cor. inde ab Actis prorsus non differre, quod ibi renitentium (ἀντικείμενοι) quoque evangelio fit mentio, nemo non concedat necesse est, queniam nunquam alia propagandae doctrinae divinae ratio fuerit, neque alia unquam et ne in consummatione quidem regni divini (1 Joh. II, 18) futura sit, quam ut dulcissimi quique disseminati verbi fructus acerbissimos quoque detrectatores et osores elicerent et excitarent.

At sicut Acta cum ep. ad Cor. conferentes nobis *aliquantum* probavimus, Apostolum praeter III menses et II annos Ephesi versatum esse: ita, cum in hujusmodi rebus testimonium a scriptore ipso editum plus valeat, quam extrinsecus aliquod petitum, ex Actis solis idem confirmare tentemus. — Paulum igitur, etiam biennio transacto, Tyranni auditorium adiisse statui non posse, per se patet. Aliter enim eo ipso, quod Acta ab aliorum arbitrario usu defendere studemus, apertissimis Lucae verbis et ipsi maximam vim inferremus. Sed ubinam tandem locorum, schola illa fortasse propter auditorum multitudinem relicta, cum novem menses, quos adjiciendos esse censemus, institutioni christianae operam dedisse putabimus? Nos quidem Ap. ex hoc tempore non solum Ephesi, sed etiam in regionibus adjacentibus docuisse arbitramur, simulque persuasum nobis habemus, Lucam ob id ipsum v. 22 non scripsisse: αὐτὸς ἐπέσχε χρόνον εἰς τὴν Ἔφεσον, sed εἰς τὴν Ἀσίαν. Sane quispiam objiciat, ipsum nomen Ἀσίας propterea tantum hic occurrere, quod

Μακεδονίας denominatio a terra desumta aliam terram (Asiam) et non urbem (Ephesum) opponendi ansam praebuerit, adeo ut illud vocabulum nihil valeat ad nostram causam evincendam. At idem negare non potest, si id quod volumus aliunde comprobaverimus, nomen illud maxime nobis consentaneum, aliquantum ponderis habere ad confirmandam nostram sententiam. Quare jam accedamus ad rem altius repetendam, ut si Paulum ad finem muneris Ephesini vicinas quoque regiones docuisse probatum fuerit, inde pateat etiam, cur Lucam hoc tempus, quo Paulus varias et disjectas regiones adiret, neque versu nono biennio illi simul injecerit, neque postea diserto numero addiderit.

Versus quidem 10 quoque omnes *Ἀσίας* incolas *τὸν λόγον κυρίου* audivisse enarrat; sed ibi propter verborum nexum luculenter eo sensu, ut aut ad rumores, qui de evangelio per peregrinos urbem affatim vel mercaturae vel sacrorum causa adeuntes in terras vicinas ferebantur, respiciat, aut universam, quae evangelio fuerit, vim ad Ephesiorum animos conciliandos statim ab initio brevibus proponat. Non ita ad versum 26, in sola urbe Epheso Apostolum permansisse, satis bene quadrat. Nam Demetrii oratio Paulum apud concionem criminatur, quod non solum Ephesi, sed etiam *σχεδὸν πάσης τῆς Ἀσίας ἱκανὸν ὄχλον* averterit ab idolorum cultu. Quibus in verbis, quamquam ad plebem incitandam *ὑπερβολήν* aliquam inessse non infitias imus, tanta tamen *ὑπερβολή* vix statuenda est, ut, si P. praeter Ephesum tum temporis nusquam in Asia docuerit, omnino sint falsa et commentitia. Praeterea P. Act. XX, 18 non *ἀπὸ πρώτης ἡμέρας, ἀφ᾽ ἧς ἐπέβην εἰς Ἔφεσον*, sed *Ἀσίαν* dicit et tum quidem temporis non solum Ephesios, sed alios quoque Ioniae presbyteros affuisse luculenter eo indicat, quod non omnes, *ἐν οἷς διῆλθεν*, ipsum revisuros (Act XX, 25) dicit. Verbum autem *διέρχεσθαι* (Cf. Act. XX, 2; XVIII, 23; Matth. XII, 43; Luc. IX, 6; Joh. IV, 4; 1 Cor. XVI,

XVI, 15) quod Hesychius per διαπεράζειν reddit, nusquam, quod sciam, uno eodemque loco permanere ibique versari, sed, quod et ipsum docet etymon, plura loca obire et perlustrare significat. Quare quum Paulus, ni omnia fallunt, in aliis quoque Joniae regionibus docuerit, eumque inter III menses illos et II annos Epheso abfuisse vix liceat propter verba καθ' ἡμέραν *): per IX illos menses proficiscendo et revertendo **) illuc reliquas quoque Joniae plagas evangelica luce esse collustratas a Paulo, recte judicare nobis videmur. Quod quidem etiam in causa est, cur Lucas, qui nunquam fere distinctos annorum (cf. Act. XXVIII, 30; XXIV, 17; XVIII, 11) mensium (XXVIII, 11; XX, 3), aut dierum (XXI, 4 et saepissime) numeros constituit, nisi quum Paulum uno eodemque loco consedisse tradit, nostro loco, ubi Paulum Joniam peragrasse satis indicavit, IX illos menses non disertis verbis enumeraverit.

Sed unum adhuc restat idque vehementissimum certamen de voce τριετίας ad verbum intelligenda. Etenim omnes fere interpretes, quotquot inspexi, Michaelis (Einleitung ins N. T. § 69 pag. 1048), Eichhornius (l. c. pag. 43. 169), de Wettius (l. c. pag. 238.), Bertholdtius (l. c. pag. 3353. 3360), Heinrichsius (l. c. pag. 7 et 17), Hugius (pag. 283. 340), Vaterus (l. c. pag. 537) conjurati quasi, neque contenti tantis molestiis et tot tantisque vitae periculis a Paulo toleratis, quanta alibi in Actis (cf. 2 Cor. XI) narrantur, Apostolum tumultu Ephesino (Act. XIX, 23; XX, 1) vel

---

*) Vox ἡμέρας quamvis nimis non sit premenda et solummodo eo tendere possit, ut quotidiana ἐν σχολῇ Τυράννου institutio, colloquiis in synagoga, quae sabbato solo plerumque habebantur, sit opposita: tamen id saltem enarrat, Paulum interim Epheso non discessisse.

**) Eum bis distinctis temporibus interea in ipsa urbe Epheso fuisse, evinci potest; primum quidem quum epistolam I ad Corinth. scriberet, deinde quum tumultus accideret.

urbe ejectum, vel eodem compulsum, inde abiisse volunt. Atque exoptata sane hujusmodi expulsio interpretibus suppetias ivit, qui adeo eam arripere arreptamque amplecti coacti erant, ut temporis definitionem, quae tam plana et luculenta loco 1 Cor. XVI, 7 inest, aliquanto imminuerent et infringerent. Quid? vere dicere possis, Demetrium hunc tumultuantem velut Deum ex machina arcessitum cujusvis arbitrariae chronologiae quasi propugnatorem et vindicem exstitisse? Ad libitum enim ut quisque interpretum longissime in computando a pentecoste recessit: ita maturissime Demetrium furiosam illam turbam conflantem, vesanosque ejus τεχνίτας facit vociferantes. Magni igitur momenti est quaestio, utrum Paulus propter seditionem revera citius, quam 1 Cor. XVI, 7 in proposito haberet, Ephesum reliquerit, nec ne. Quam quidem rem eo impensius percensere opus est, quod Eichhornius praecipue quia hac in re falsum vidit, adeo se non posse animum inducere affirmat, epistolam nostram scriptam esse post hunc Apostoli in Macedoniam, de quo sermo est, abitum, ut, quum epistolam alii tempori tribuere non potuerit, eam rejicere hac maxime de causa sit conatus (cf. Eichhornius l. c. pag. 342 sqq., Bertholdtius p. 3865 sq., Planckius p. 89). Nam cum Eichhornius (cf. pag. 49 not.) Paulum Januario mense Epheso abeuntem et proximam pentecosten Hierosolymis agentem faciat — quod plane contrarium est alteri ad Corinth. epistolae, quippe in qua inanis quaedam Apostoli, Corinthum adeo prius quam pollicitus esset (1 Cor. XVI) ingressi, et plane superflua, quod sero veniret, legeretur excusatio (Cap. 1) —: hac quidem via necesse est, ut infra quatuor hebdomadas tot res evenerint, quot Eichhornius pag. 342 conferi debuisse censet. Maxima igitur cum justitiae laude Schleiermacherus, alter epistolae adversarius (p. 119) ita nos monet, ut defensorem ante omnes huic fugae fidem prorsus negare, et seditionem il-

lam Paulo breve modo et leve periculum attulisse dicere debeat. Ille vero quae nullis fere adjectis argumentis proposuit, ea nos, quum causae nostrae cardo in iis demonstrandis vertatur, rationibus quibusdam probabimus.

Primum nullo modo argui potest, tumultum illum non sub idem fere tempus esse factum, quo P., etiamsi non evenisset, Ephesum relinquere sibi constituisset. Quocirca etiamsi paulo post *θόρυβον* Apostolum Epheso esse egressum sit sane veresimile, propterea quod Lucas, narrata seditione, statim Apostoli discessum commemoravit: tamen Paulum propter *θόρυβον* discessisse, inde non efficitur. Aliud enim est, facere aliquid, quia quid acciderit, aliud, quum acciderit. Hanc autem rationem, non illam in nostram rem cadere facillime ostenditur. — Interpretes Paulum propter *τάραχον* illum prius, quam vellet, ex urbe egressum esse confirmantes, plerumque simpliciter ad verba Actorum XX, 1 provocant; quo loco innixa antiquitus haec in ecclesia invaluit opinio. Ex iisdem tamen contraria potius sententia comprobari posse videtur. Claris enim verbis *γραμματέα* illum (clandestinum fortasse Pauli amicum, sicut *Ἀσιάρχαι* (v. 31) qui Apostoli *φίλοι* luculentis verbis nominantur) quod oratione sua volebat, ut multitudinem dissiparet, id impetrasse, enarrat Lucas XIX, 40; coll. XX, 1. Num igitur sedata seditio Paulum, ut fugeret, commovere potuit? Certe omne periculum, si quid hac occasione Paulo ipsi immineret, non potuit non celeriter praeterire. Minime vero probabile est, seditionem ad discessum Pauli durasse. Nam solemni, qualem de vita periclitans convocare nequisset, concione habita (XX, 1) Ephesiis valedixit. Simili quodam modo Süſskindius l. c. pag. 323 Eichhornium castigat, recteque eo quoque utitur argumento, quod Paulus jam ante tumultum proficiscendi ceperit consilium (Act. XIX, 21. 22).

Praeterea interpretes (Bertholdt p. 3352. 3571; Vater p. 537) attulerunt locum 2 Cor. I, 8—11 et

θλίψιν ibi memoratam ad nostrum concursum referunt. Quem quidem locum haud sine magna veritatis specie esse propositum, quo Apostolum praemature et invite Ephesum reliquisse, evinceretur, quis est, quin videat? Apostolus enim nunc ipsum aut nuperrime saltem Epheso in Macedoniam advectus, de calamitate quadam sibi illata illinc Corinthios certiores facit, se adeo fuisse afflictum, ut etiam de vita desperasset (ὥστε ἐξαπορηθῆναι καὶ τοῦ ζῆν) solaque ope divina, qua confisus fuisset, a tanta morte (ἐκ τηλικούτου θανάτου) defensum. Quae cum ita sese habeant, quid facilius probari posse videtur, quam haec verba ad tumultum Ephesinum spectare? Et profecto, modo Apostolum in tumultu illo revera de vita periclitatum fuisse, demonstrari posset: Paulum raptim Epheso exiisse, et quidem propter turbam illam, negari omnino nequiret. Sed ecce Lucas fuse enarrat, Paulum quominus in concionem iret, a discipulis (v. 30: οὐκ εἴων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ), neve in theatrum se daret per Asiarchas fuisse monitum (v. 31: παρεκάλουν αὐτὸν, μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον.). E quo tandem vitae periculo tum temporis subito Deus eum ἐῤῥύσατο (2 Cor. I, 10)? E nullo prorsus, nisi forte vulgum in domus penetrasse crediderimus, ut Christianos corriperet. Quod conjiciendi nullum inest in verbis indicium. Gajus enim et Aristarchus (v. 29) in plateis deprehensi in theatrum tracti esse putandi sunt; Paulum vero, nisi sponte in theatrum se conferret, ab omni operariorum impetu fuisse tutum, ex ipso patet Ἀσιαρχῶν monitu. Calamitati igitur hujusmodi Apostolus, maximorum periculorum peritissimus idem et patientissimus (2 Cor. XI, 23—28) vix θλίψεως, nedum θανάτου nomen dedisset. Apostolum vero qui judicaret propter hanc, si ad reliqua, quae idem Ephesi perpessus est, respexeris, nullius fere momenti molestiam ex urbe fugisse, nonne is, ut semper πνεύματι δυνάμεως et παῤῥησίας fuerit instructus Apostolus, ita tum quidem semel et subito πνεύματι δει-

λίας (2 Tim. I, 7) eum fuisse correptum statueret? Nam quamvis ingravescente periculo Paulum fugae se dedisse saepius legamus: nusquam tamen tam leve quidquam et minutum, cur loco decesserit, invenimus. Potius l. 1 Cor. IV, 11 Apostolus ex ipsa urbe Epheso Corinthiis scribit: Ἄχρι τῆς ἄρτι ὥρας καὶ πεινῶμεν, καὶ διψῶμεν, καὶ γυμνητεύομεν, καὶ κολαφιζόμεθα καὶ ἀστατοῦμεν· καὶ κοπιῶμεν, λοιδορούμενοι, διωκόμενοι — — βλασφημούμενοι, — — ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν; quid? ibidem XV, 30 queritur: κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν, καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω — — — ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ — (quae quidem verba, etiamsi proprie intelligi vix possint, tamen magnum vitae periculum indicent, necesse est) urbemque propterea non reliquit; sed se nihilominus usque ad pentecosten Ephesi esse mansurum, (1 Cor. XVI, 8) profitetur ipsoque versu insequente πολλῶν ἀντικειμένων facit mentionem. Ac si nunc per unum diem, ultra quem multitudo vix tumultuabatur, paululum vexaretur: eumne fugisse et ita sibimet ipsi θύραν illam μεγάλην καὶ ἐνεργέα occlusisse crediderimus? Tantum quoque abest, ut Lucas hanc rem tanquam ecclesiae Ephesinae calamitatem commemorare voluerit, ut primum, quem Ephesi reportaverit evangelium, triumphum descripsisse videatur. Quam minutum enim illud infortunium, quod ecclesia tum perpessa est, prae splendida illa victoria, qua evangelio contigit, ut per ipsos magistratus paganos a paganorum injuria defenderetur! Paulus vero, qui ignaviae fere accusandus fuisset interpretibus, nonne in hac ipsa calamitate praeclarissimum et pulcherrimum fortitudinis exhibuit testimonium, vi cohibendus, ne vitae periculum subiret? Quanta igitur macula Paulum, ecclesiae gloriam, afficere censendi sunt, qui timide eum fugisse existiment? ne dicam, quantam crimini ei dent vesaniam, quod proelii victor et mirifice triumphans sponte aufugerit?

Quam flocci ipse quoque Paulus hanc unius diei seditionem ab operariis motam aestimaverit,

etiam inde patet, quod ejus XX, 19 adeo penitus oblitus sit, ut de solis Judaeis insidiantibus conquereretur. Quare si quis poneret, ἐπιβουλὰς Ἰουδαίων (Act. XIX, 9; fortasse etiam 1 Cor. IV, 11; XV, 30) fuisse in causa, cur Paulus Epheso subito discessisset, et has quidem in loco II Cor. esse intelligendas: multo facilius ei calculum adjiceremus. Sed collatis Actis App. cum hoc loco (2 Cor. I, 8) id quoque concedere non possumus. Nam si Paulus Ephesi adhuc versatus post pacatum tumultum Demetriacum in alterum discrimen priori majus fuisset adductus, atque adeo, cur de vita desperaret, habuisset, vix dubium est, quin Lucas, res Ephesinas usque ad ipsum Pauli discessum copiosius quam plerumque narrans, capitale hoc periculum, quod abeundi causa fuisset, silentio non omiserit. Verum enimvero si Paulo adhuc Ephesi versanti tale quid accidisset, leviora et paene dubia (Demetrii turbam) perscripsisset, graviora autem, immo capitalia neglexisset? Sed quo tandem spectant, quae Paulus 2 Cor. I, 8 conscripsit? Periculum tibi eligas, quodquod maxime placuerit, et Apostolo in itinere terrestri *) facillime accidere potuerit, e copioso illo calamitatum indice 2 Corinth. XI.

Denique ut ne ullam quidem causam taceamus, qua interpretes usitatissimam hanc fugae Paulinae opinionem confirmaverint, apud Bertholdtium hoc investigavimus argumentum, quod Ap. 2 Cor. II, 12, se Troade Titum non invenisse queratur. Haec enim argumentatio verbis Bertholdtii (Pag. 3360 seq. 3499) sine dubio subest: Paulus cum Tito, quem Epheso Corinthum miserat, Troade rursus congredi volebat; eum vero non invenit:

---

*) Iter terrestre et ad Lucae verba Act. XX, 3 (ἐξῆλθεν εἰς Μακεδονίαν) et ad locum, quem Paulus obiter visitavit (Τρῳάδα 2 Cor. II, 12) melius quadrat, quam via maritima.

ergo Paulus citius, quam in proposito fuerat, Ephesum, et quidem propter tumultum reliquit; — quasi non, quod obiter modo monemus, ut altera paciscentium pars, ita altera quoque in erroris causa esse posset, et Paulus tantum citius, quam vellet, Epheso, neque pariter Titus tardius, quam pactum erat, Corintho proficisci potuisset. Sed omnino tantum abest, ut ex hoc loco praematura Pauli discessio ab Epheso eluceat, ut eum justo statoque tempore discessisse facillime inde demonstrari possit. Quid enim? an nos solos tam callidos et sollertes duxerimus, ut, si quis alium ad certum tempus aliquo venire jusserit, et ipse ante diem adveniat, eum non posse sperare, fore ut alterum inveniat, intelligenter observemus? — ab Apostolo autem sapientissimo reique itinerariae peritissimo facillimam hanc rationem adeo esse neglectam judicaverimus, ut quod ineptum esset, a Tito exspectaret? E contrario igitur si Paulus 2 Cor. II, 12, se vehementissime sollicitum fuisse, (*οὐκ ἔσχηκα ἄνεσιν τῷ πνεύματί μου*) dicit propter Titi moram, nisi inanis plane fuit sollicitudo, Apostolum non ante statutum tempus advenisse Troadem necesse est. Unde luculenter patet, Apostolum, nisi forte in itinere Troadem usque diutius immoratum — quod propter silentium Actorum haud probabile est — etiam Epheso non ante diem antea praefinitam qualicunque de causa exiisse.

Quae quidem omnia cum ita se habeant: jam sic de Paulo Epheso discedente statuimus, loco 1 Cor. XVI, quo tempore inde profectus sit, accurate recteque definiri. De quo quidem loco, ut per Eichhornium aliosque quidquam nobis detrahi non concessimus, ita etiam per Süſskindium ei addi aliquid, non patiemur. V. enim D. l. c. pag. 323. 328. 335. 353, Paulum mense demum Septembri p o s t pentecostam illam 1 Cor. XVI significatam Epheso abiisse judicat et quum Paulum, qui sub pentecosten Ephesi advenerit, modo II annos et III menses ibi commoratum esse, censeat, ne pot-

est quidem aliter judicare. Nos autem, qui Act. XX, 31 ita ad arbitrium non posse detorqueri demonstravimus, ut Paulus IX integros menses se ultra tempus, quod revera adfuit, vehementissime affirmaverit, — nos quidem rationibus Süfskindii IX menses addentes, et muneris Paulini inter Ephesios computationem a priori anno quam Süfskindius instituentes, pentecosten illam 1 Cor. XVI memoratam feliciter nacti sumus. Itaque Paulum anno LIX sub pentecostes sacra — inter quae ipsa fortasse Ephesi adhuc permansit, ut ea una cum carissima ecclesia, neque inter peregrinos versans celebraret — *πορευόμενον εἰς Μακεδονίαν* (1 Tim. I, 3) nobis fingimus.

II.

Deinde propter verba v. 3: *καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ*, Timotheum fuisse Ephesi, cum Paulus inde abiret, ponamus necesse est. B. quidem Vaterus (Pag. 629) putat, potuisse Timotheum Ephesi invenire Pauli abeuntis mandatum, ut illuc reversus ibi maneret. Sed V. Cel., si his verbis docere voluerit, neque necessario in epistola postulari, ut Timotheus mandata acceperit ex ipsius Pauli ore, et cogitari posse, ei per litteras Ephesi relictas Ap. discedentis jussa innotuisse, facile refutatur. Nam si quis alicubi permanere (*προσμεῖναι*) i. e. praeter illud tempus, quod jam ibi versatus fuisset, novum aliquod tempus commorari jubetur, eum antequam mandatum accepit, ibi jam aliquantisper saltem fuisse oportet, ubi manere jubetur. Epistolam illam, quam Ap. Timotheo reversuro Ephesi reliquisset, certe Timotheus, quum primum Ephesum adveniret et antequam ibi jam aliquod tempus affuisse dici posset, per Ephesios accepturus fuisset, itaque Timotheus litteris non *προσμεῖναι*, sed solummodo *μεῖναι* juberi potuisset.

Jam vero Eichhornium (Pag. 337 sqq.) audiamus, qui Timotheum tum temporis Ephesiis adesse potuisse simpliciter negat; Tim. enim brevi ante seditionem, Erasto comite, Epheso in Maced. missum (Act. XIX, 22), eique simul a Paulo praeceptum fuisse, ut Achajam perlustraret, et nominatim ad reprimendum partium studium Corinthum viseret (1 Cor. IV, 17; XVI, 10).

Cui responsuri 1) quae loca Tim. in itinere ab Ap. sibi domandato adierit inquiramus. In Actis App. in solam Macedoniam eum missum esse legitur. Sed in I ad Cor. ep., quam Ephesi exaratam esse inter viros doctos constat, Cap. IV, 17 *ἔπεμψα ὑμῖν Τιμ.* scribit et XVI, 10, ut, si venerit, benigne eum excipiant eos hortatur. Propter haec loca, quae idem bis affirmant, confidenter ponendum esse puto, Tim. revera Corinthi fuisse; id quod plurimi negaverunt, ut de Wettius p. 271, aut in dubitationem vocarunt, ut Schleiermacherus pag. 116. Qui quum his argumentis niti posse putaverit, quod in ep. id tantum perspicue expresserit Ap., posse Tim. Corinthum venire, neque certa quaedam mandata ei dedisse videatur: solummodo l. 1 Cor. XVI proponens ad alterum locum 1 Cor. IV minus respexisse videtur. Bertholdtius quidem p. 3359 (cf. p. 3494), cur Timotheum Corinthum non venisse statuat, eo potissimum utitur argumento, quod in II ad Cor. ep. Tim. ad exigenda beneficia, quorum causa Corinthum missus esset, quidquam profecisse, non referatur. Sed hic primum satis liquet, idoneam silentii causam inde repeti posse, quod, etiamsi affuisset, propter breve quod Corinthi commoratus esset tempus, nihil hac in re perfecerit. Deinde Timotheum vere fuisse Corinthi, hoc ipsum epistolae II ad Corinth. silentium non minus confirmat, quam si P. verbis id edixisset. Quid enim? si, quod P. bis (1 Cor. Cap. IV; XVI) apertissime asseverarat, non evenisset, num fieri potuisset, ut Ap. in tota II ad Cor. epistola ab omni levitatis opprobrio se purgare et

inconstantiae speciem a se amovere enixe studens, haec, quibus justiore fere usi fuissent Corinthii criminationis causa, praetermitteret neque uno quidem verbo excusaret. Nonne Cap. I praecipue, cujus v. 1 tam libero animo Corinthios Timothei nomine salutat, et postea v. 19, ubi in media suamet ipsius defensione versatur Ap., Timothei excusatio, si qua opus esset, adeo erat in promtu, ut, cur hac de re tacuisset, ne oblivio quidem Pauli praetendi posset? Omni igitur laude dignus est Eichhornius in refellenda eorum sententia, qui, quo Tim. celerius Ephesum ad Apostolum reducerent, eum apud Corinthios tum temporis fuisse, omnino negaverint.

Sed 2) explicantes, quando profectus sit Tim. Ephheso, eundem Eichhornium e vestigio refutare debemus, quod Timotheum brevissime ante tumultum Ephesinum ad Macedones missum esse posuerit. Quod ut statuat, si Eichhornius sua priorum annorum computatione cogitur: hanc ipsam, si probare potuerimus, Tim. diutius ante tumultum esse profectum, in suspicionem vocandam, nisi emendandam esse, ante oculos est. Etenim jam probavisse nobis videmur, Tim. non breve tempus, sed novem menses, antequam P. urbem relinqueret, itaque, cum P. haud multo post tumultum inde discessisse putandus sit (cf. supra p. 35), IX fere menses ante tumultum Epheso esse profectum. Nam quum P. iter illud Hierosolymitanum IX menses, antequam Epheso discederet, decrevisse jam demonstraverimus: quid? si uno eodemque tenore, nulloque temporis discrimine facto, Lucas Timothei missionem (v. 20) commemorat: Paulum, eodem tempore, quo de suo itinere statuerit, etiam Timotheum in Macedoniam delegasse, nono dico vel saltem octavo mense ante tumultum, num temere argumentamur?

Hugii porro sententiam inquirere placet, qui Tim. sub hiemis finem esse profectum dicit

(p. 329). Quem quidem quantopere caeteroquin praeclarissimum nostrae causae propugnatorem veneramur, tantopere hic quidem a vero alienum esse putamus. Nam etiamsi propter l. 1 Corinth. V, 7 *) ei dedissemus, priores litteras sub paschatis tempus Corinthiis esse redditas, neque Timotheum, id quod V. D. justo fere accuratius definit, tertio a festo paschali die Corinthum reliquisse, ei denegavissemus: non tamen inde consequeretur Tim. vernali demum tempore Epheso abiisse. Hugii autem error inde fluxit, quod locum Act. XIX, 22 ita sibi ex memoria excidere passus est, ut Timotheo optionem permitteret, utrum itinere terrestri per Macedoniam, an maritimo per Athenas Corinthios adire vellet. Quamquam eos adire non potuit, nisi via, quam Hugius vocat terrestri. V. D. plane immemor est, Tim. emissum esse, ut prae reliquis Macedones obiret — quod nisi hoc maxime itineris consilium fuisset, num Lucas Act. XIX hoc solum indicasset? — itaque apud ipsos Macedones *aliquantum* temporis immoratum ad Corinthios profectum esse. Quod quidem tempus quum Hugius non computaverit, sed l. c. solummodo tantum

*) Jam ante Hugium (P. 328) Palejus (Hor. Paulin. p. 79. 413) ex hoc loco collegit, ep. I ad Cor. sub tempus paschale esse allatam, itaque brevi ante hoc tempus conscriptam. Idem Süsskindius l. c. p. 322 contra Eichhornium p. 137 et 138 defendit. Recte id colligi praeter Eichhornium de Wettius (*Einleitung ins N. T. S.* 358) simpliciter negat. Neque profecto equidem, qui, ut alii, ac tempori paschali ep. 1 ad Cor. tribuerem, coactus sum, illo loco impediri potui, quominus aliam rationem sequerer. Eadem allegoria, ac nostro loco, solummodo minus fuse explanata, P. etiam Gal. V, 9 utitur, neque quisquam propterea constituit, ep. ad Galatas sub sacra paschalia esse scriptam. Ceterum si verba ad sacra paschalia spectarent: prae reliquis hoc probandum esset, ecclesiam Corinthiam quamquam factio pagana ritus Judaicos valde atque adeo justo plus fastidiret, tum temporis adhuc more Judaeorum ἄζυμον celebravisse τὸ πάσχα. Cf. *Flatt: Commentar zu den Corinth. Briefen p.* 107 *seq.*

temporis efficiat, quantum Timotheo vel ad terram cursu perlustrandum opus fuisset, jam inde patet, non posse probari rationem, qua Tim. usque ad pentecosten ad Ap. reversum esse docere voluerit.

Nostro igitur jure gaudemus quod IX fere menses assecuti sumus, infra quos Tim. Epheso in Macëd. et Corinth. esse profectum, utroque loco commoratum, et inde Ephesum reversum esse ponamus. Atque Tim. quidem revera nono circiter mense antequam Ap. Ephesum discederet, m. dico Septembri anni LVIII in Mac. esse egressum alia quadam temporis ratione nobis consentiente egregie confirmatur.

Locis 2 Cor. VIII, 10; IX, 2 legitur, beneficia in fratrum Hierosolymitanorum commodum colligenda Corinthi inde ab anno superiori (ἀπὸ πέρυσι προενήρξασθε) exigi esse coepta. Posteriorem ad Corinth. ep. Paulus a. LIX in Mac. conscripsit et quidem inter mensem Junium et menses hibernos anni commemorati. Nam usque ad illum quidem a Paulo, pentecoste Epheso profecto, viam inter Ephesum et Macedoniam fuisse confectam, statuere licet, et quum Ap., qui tres menses in Hellade, i. e. Corinthi fuisse Act. XX, 2 traditur, rursus in Mac. reversus, anni LX post azymorum dies jam a Philippis navigaret (Act. XX, 6) mensi Dec. anni LIX Macedoniam, quo tres menses Januarium, Februarium et Martium anni LX Corinthi commoraretur, reliquerit necesse est. Epistolam autem II ad Corinth. non diu, antequam Ap. ipse e Mac. egrederetur, scriptam esse inde probatur, quod Ap., qui 2 Cor. XII, 14 scriberet: ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, ut multum temporis inter nuntium adventus et adventum ipsum effugeret, voluisse utique non potest, ne Corinthii iterum ipsi diffiderent. Quocirca Apostolum ipso m. Dec. e Mac. profectum, medio Novembri epistolam II ad Cor. per Titum redditam, conscripsisse statuere posse nobis videmur. In qua quidem epistola mense Dec. anni LIX Corinthiis allata, si Ap. commemorat: colle-

ctionem vestram Titus incepit et Corinthios alloquens dicit: collectionem anno superiori incepistis (2 Cor. VIII, 10; IX, 2): Titum, quo stipis cogendae initium fecisse dici possit, etiam anni superioris i. e. LVIII mensi (ut infimum tempus determinemus) Decembri Corinthi affuisse necesse est. Inde efficitur, ut prior ad Cor. epistola, in cujus cap. XVI, 1 Corinthii primo beneficia Hierosolymitana colligere juberi videntur, ante id tempus, sub quod Titus jussa perficiendi initium fecerit necesse est, i. e. ante mensem Dec. anni LVIII sit scripta.

Hoc quidem loco in difficillimam neque satis exagitatam quaestionem, quae nostram mensium computationem proxime attingit, incidimus, quae tandem ratio intercedat inter 1 ad Cor. ep. conscribendam afferendamque et Titum mense Dec. LVIII apud Corinthios praesentem. Quanto enim temporis antequam Titus Epheso proficisceretur, epistolam priorem ad Cor. scriptam perhibeamus? Quod quidem quamvis directa via nullo modo possit effici: tamen, si quis fuerit Titi comes, ostenderimus, saltem conjicere licet. Itaque, antequam id ipsum, quod quaesivimus, expedire possimus, brevibus de Titi comite nobis est disputandum. — Loco 2 Cor. XII, 18, Titum ad Corinthios esse missum commemoratur. Quo quidem loco si quis dubitaverit, an haec nostra intelligenda sit Titi missio, quam Epheso susceperit, neque potius ea, qua e Macedonia ipsas posteriores epistolas Corinthiis attulerit, facile inde refutabitur, quod Apostolus, dum Corinthiis in memoriam revocat, eos neque ab ipso neque ab ipsius legatis esse circumventos vel pecunia fraudatos (οὐ δολῷ ἔλαβον. ἐπλεονέκτησα) Titum quoque inter legatos nominat. Praeteritum igitur aliquod Titi iter innuit Apostolus, neque quod praesenti tempore litterarum afferendarum causa instituendum erat. Ad quod quidem tempus Apostolum l. 1 Cor. XVI, 18

spectasse, nisi forte Apostolum temere negligentiae incusemus, negari omnino non potest, et clarissime inde demonstrare licet, quod Apostolus de tempore praesenti loquens ἀδελφοὺς memorat, (VIII, 22 αὐτοῖς), nostro loco ἀδελφὸν inducit. Qui autem tum una cum Tito ad Corinthios missus esse dicitur ἀδελφός (παρεκάλεσα Τίτον καὶ συναπέστειλα ἀδελφόν) alius quisquam vix potest esse, nisi Apollos. Grotius quidem aliique Timotheum intelligunt, sed minus apte, quia Timotheus non una cum Tito, sed cum Erasto et quidem antequam epistola 1 ad Corinthios scriberetur, Epheso discessit. Praeter Timotheum autem solus fere Apollos Corinthiis tam notus erat et quasi familiaris, ut, nomine proprio non addito, κατ' ἐξοχὴν fratris nomen accipere posset. Accedit, quod Apostolus Apollum esse venturum, jam antea annunciaverat (1 Cor. XVI, 12) eique ipsi ipsum ἀδελφοῦ nomen tribuit, quod per se quidem sane unicuique Christiano tribui potuit, sed Apollo, quod ipsi cum Corinthiis necessitudinis erat vinculum, proprio quodam et peculiari sensu imponere licuit Apostolo. Quid multa? ipso hoc inter locos 2 Cor. XII, et 1 Cor. XVI, 12 aptissimo consensu adjuti, Apollum Titi fuisse comitem (etiam l. Tit. III, 13 iidem fuisse conjuncti traduntur) persuasissimum nobis habemus.

Quanto igitur tempore antequam Titus Ephesios relinqueret, epistolam I ad Corinthios esse scriptam constituemus? Titum legatos Corinthios (1 Cor. XVI, 17) qui epistolam illam secum tulerunt, continuo aut brevi tempore secutum esse propterea negamus, quod Apollos, Titi comes, tum, cum illi Epheso abirent, itineri non vacasse dicitur. Mense Decembri, ut Titus pecuniae collationem instituerit, nullo modo effici potest, nisi eum aut ante allatas priores litteras Corinthi affuisse aut una cum epistola aut mox post eam ibi advenisse ponatur. Sed in triplici hac ratione, quamlibet statuerimus, sane mirabimur, quod in tota I ad Cor. ep. Titi nulla fiat mentio; in prima,

quod in sectione, in qua stipem conferri Apostolus jubet (Cap. XVI, 1—5), is, qui eam coacturus erat, non nominatur, neque salutatur quidem Titus; in secunda, quod Titi nomen non juxta epistolae nuntios 1 Cor. XVI, 15 inveniatur; in tertia, quod, quamvis ii, quorum adventum Corinthii exspectare possint, fuse nominantur, et Apollos si itineri vacaret (ἐὰν εὐκαιρήσῃ) Epheso profecturus (1 Cor. XVI, 12) et Timotheus mox adventurus (1 Cor. IV, 17; XVI, 10) tradatur, Titus neque profecturus neque adventurus dicitur. Quod quidem ipsum silentium, si Titus litteras Corinthum attulisset, vel adeo eas praevenisset, ut reliquas, quae utramque hanc rationem premunt, difficultates taceamus, difficillime declararetur. Contra si Titus post epistolam redditam Corinthum adierit, silentium illud facillime inde explicatur, quod Ap. epistolam scribens de Tito mittendo nondum constituerat. Quodsi Titus quem mense Decembri Corinthi fuisse necesse est, post epistolam missam Epheso profectum esse probavimus, una opera demonstravimus epistolam non solum ante mensem Decembrem, sed ante posterius Novembris dimidium esse conscriptam, quippe quo ipso tempore eoque extremo Tito, ut viam inter Ephesios et Corinthios usque ad justum tempus carperet, proficiscendum esset.

Quae hactenus constituimus, nostro jure contendere posse nobis videmur; magis dubia sunt, quae jam sequuntur. Quando igitur, si id ante oculos habuerimus, quod Titum mense Novembri Epheso decessisse necesse est, ep. I ad Cor. scriptam esse, et quid, illius rei tempore constituto, de tempore, quo Timotheus, qui in illa ipsa ep. nominatur, constituendo proponemus?

Negotia illa, propter quae non vacavit Apollos, Titi comes, si per paucos dies confici potuissent, nuntii, quibus magnum periculum in paucorum dierum mora fuisse non verisimile est, certissime donec Apollos itineris otium haberet, Ephesi re-

mansissent. Sed quin epistola longius quoddam tempus e. g. plures menses ante Titi profectionem sit scripta, ideo dubitamus, quod Apostolus, cujus, ut beneficia quam primum et quam diligentissime fieri posset colligerentur, permultum interesset, certe Titi missionem, qui beneficia conquireret, nimium temporis differre noluerit. Certiorem quidem rationem assequi ita non potuimus, qua quanto temporis spatio epistola Timotheum praevenerit, computaremus, quam neque brevissimum, neque longissimum intervallum posse statui. Sed cum tamen computationis periculum instituere velimus, unius mensis spatium, quod inter iter nuntiorum et Titi intercesserit, intervallo illi neque nimis parvo neque nimis magno maxime consentaneum esse censemus. Quem quidem mensem si a posteriori Novembris dimidio detrahimus: idem tempus mensis Octobr. assequimur, quo Paulus I ad Cor. epistolam conscripserit. Quodsi in hac ipsa epistola Timotheum Corinthum esse adventurum (1 Cor. XVI, 10) et prorsus ita annunciat, quasi Timotheus diutius jam Ephesum reliquerit: Apostolus Timotheum saltem iter ad Macedones confecisse et vel aliquantisper apud Macedones commoratum esse crediderit necesse est. Qua quidem ratione si Timotheum dimidium mensis jam Macedonibus interfuisse (priorem partem Octobris, post quam I ad Cor. ep. scriptam esse verisimile est) eumque uno mense iter usque ad Macedoniam confecisse statuere par sit: in eundem mensem, quo Timotheum Epheso discessisse supra posuimus, mensem dico Septembrem inducimur. Qua in re si cui audacius quam certius definivisse videremur, quia tempora inter posterius dimidium Novembris et Septembrem, quo in hunc supra jam constitutum mensem, iterum incideremus, mera conjectura explevissemus: ille quidem ne omittat, nos ex ultimo inde anni LVIII tempore, quod Paulus sub voce ἀπὸ πέρυσι intelligere posset, rationem duxisse. Igitur etiamsi aliunde confirmari posset,

aut

aut per se melius probaretur: vocem illam (ἀπὸ πέρυσι) ad priorem, quam Decembrem anni mensem esse referendam: Timotheum — quem ante Titum esse profectum negari nullo modo potest — etiam ante Septembrem Epheso decessisse, libenter concederemus, aut quum hoc ipsum propter Actorum chronologiam jam minus placeret, (cf. p. 29 sqq.) immutata paululum nostra computatione, ad eundem circiter mensem Septembr. accedere possemus. Luculentissime saltem id ostendere voluimus, quod solum nostra proxime refert, Timotheum multo prius, quam vulgo statuerunt interpretes, jam anno LIX et quidem ante ultimos hujus anni menses, neque anno LX Epheso esse profectum.

3) Igitur si novem integros menses, quibus Timotheus ante Paulum Ephesum relinqueret, confecimus: num ullo modo dubitari licet, quin Timotheus revertens Paulum adhuc invenire potuerit? Quodsi Titus, qui mense demum Novembri Epheso abiret, Troade ab Apostolo exspectatur (2 Cor. II, 12) nonne Timotheus mense Septembri profectus justo tempore repetiisse Ephesum credendus est? Praetermittere quidem non debemus, Timotheo praeter Corinthios etiam Macedones fuisse obeundos. Sed quando Corinthum venerit, dummodo etiam hic nobis concessum fuerit, ut ipsorum verborum laudandorum vestigiis insistamus, satis accurate definire possumus. Titum mense Dec. Corinthum venisse ostendimus; qui quum stipis cogendae initium fecisse dicatur: Timotheum,*) qui

*) Quin Timotheo quoque beneficiorum cogendorum cura demandata sit, si naturalem et per se probabilem hujus rei conditionem et rationem nobis ante oculos proponimus, dubitare vix licet. Tim. ipso illo tempore, quo Ap. Hierosolyma proficiscendi consilium jam cepit (Act. XIX, 20. 21), ad Macedones et Corinthios missus esse narratur. Causa autem cur Ap. Hierosolymitanos adire voluisse videatur, si non unica, tamen praecipua

idem munus susceperat, saltem non diu ante Titum urbem ingressum esse par est. Nam si jam dudum ibi versatus fuisset Tim.: hic ipse, cum cur non instituisset collectionem, vix posset quidquam excogitari — quid enim facilius erat, quam Corinthiis, quorum certe plerique Apostolo libenter obtemperare vellent, mandare, ut pecuniam conferrent; difficilius et diuturnius solummodo id erat, ut a tota ecclesia stips satis larga exigeretur — neque vero Titus χάριν ἐνάρξασθαι dicendus erat. Quare Timotheum longius ante Titum Corinthi affuisse solummodo ita effici posse mihi videtur, ut, relicta Corintho ante Titi adventum, paucos modo dies ibi commoratus, hanc ipsam ob causam in stipe cogenda nil assecutus esse existimetur. Quae quidem ratio, quamvis nobis, quibus Timotheum quam brevissimo tempore ad Apostolum reducere curae est, sane exoptatissima, ut per se ideo minus probanda est, quod Timotheus diu ante Titum Corinthum advectus longius adeo tempus, neque paucos tantum dies ibi immorari debuisset, ut munera sibi injuncta, utique per paucos dies vix exsequenda perficeret: ita pessime quadrat ad iter Macedonicum, quod tam brevi tempore absolvisset, ut omnem fidem superaret. Timotheum autem multum temporis post Titum Corinthum advectum et tum, quum Titus adveniret, nondum negotia Macedonica executum fuisse, propterea minus probatur, quod Apostolus jam in ep. I ad Corinthios, quae vel prius etiam, quam Titus Corinthum venerat, allata erat, planis verbis scribit: ἐκδέχομαι αὐτὸν (Τιμόθεον 1 Cor. XVI, 11). Titum mensi Decembri Corinthum venisse demon-

---

quaedam est, ut collectam illis afferret. Ergo si P., cujus maxime intererat, ut stips large et celeriter conferretur (V. 2 Cor. VIII. IX) in illas ipsas regiones, a quibus ea conficienda erat, legatos quosdam misit: quid aptius comprobatur, quam iis praeceptum fuisse, ut etiam hac de re ecclesias monerent?

stravimus; Timotheum neque ante eum, neque diu post eum advenire potuisse comprobavimus; quare duos menses Octobrem et Novembrem Macedoniam peragrando occupatum mense Decembri simul cum Tito, aut statim post eum Timotheum Corinthum venisse, haud temere constituere nobis videmur.

4) Corinthum autem nactus non multum temporis Timotheus ibi contrivit. Quod quidem inde elici potest, quod in tota II ad Corinthios epistola nullus est locus, qui ad hanc Timothei praesentiam referri possit. Nam praeter 2 Cor. I, 1 et I, 19 in tota epistola nomen Timothei non legitur. Prior locus, mera salutatio nil valet ad definiendum, quamdiu et quo tempore Corinthi versatus fuerit. Ea autem, quae posteriori loco traduntur, cum Silvanus simul nominetur, non pertinent ad hoc, de quo nobis sermo est, tempus, sed ad illud, quod Act. XVIII, 5 describitur. Aliud contra, idque e silentio epistolae I ad Corinthios ne exspectatum quidem, Titi nomen unicuique fere paginae inscriptum est. Titi laudes si saepissime celebrantur: num dubitari licet, quin Ap. etiam Timothei merita, si modo quaedam ei deberentur, uno saltem verbo memoraturus fuisset? Aptiorem autem nemo facile omissionis hujus causam afferre possit, quam hanc ipsam, quod Timotheus tum temporis de ecclesia Corinthiaca componenda non promeritus sit. Quid? cur 2 Cor. XII, 17 praeter ἀδελφὸν (Apollum cf. supra pag. 46) solum Titum invenimus? nonne Timotheus haud minus, quam Titus Corinthios πλεονεκτῆσαι potuit? Nonne demonstrandum sibi sumsit Ap., a nemine, quem misisset, Corinthios esse circumventos? non igitur ipsi huic loco omnis probandi vis defuisset, si fieri potuisset, ut Timotheus quoque Corinthios decepisset? Quod cur fieri non potuerit, causam indagantes, facile videmus Paulinam argumentationem ita modo fuisse plenam atque firmam, si Timotheus aut sub illud tempus Corinthiis omnino non affuisset, aut, quum hoc persuadere nobis non potueri-

mus (cf. supra pag. 41), si pecunias colligendas non curavisset. At hoc munus quum ei quoque delegatum esset, cur tandem non curavit? cur reliqua quoque omisit? cur non promeritus est de rebus Corinthiacis? Fuerunt qui dicerent, Timotheum propter pravam et infectam Corinthiorum mentem nil proficere potuisse, adeo ut brevi urbem se invito relinqueret. Sed qui factum esse putemus, ut Timotheum, quem ut ne contemnant, sed benigne excipiant, Corinthii disertis verbis monentur (1 Cor. XVI, 10, 11) quasi fugarent, erga Titum autem tam benevole se gererent, ut Titus hac re gauderet et ex omnibus Corinthiis *(ἀπὸ πάντων ὑμῶν)* solatium accepisse diceretur? (2 Cor. VII, 13 coll. v. 7). Qua de causa quum negemus, Corinthios propter injuriam aliquam Timotheo illatam ab eo esse derelictos, quid tandem nobis restat, cur Timotheus ad stabiliendam augendamque ecclesiam nihil aut fere nihil contulerit, Titus contra plurimum? Restat nobis idem argumentum, Timotheum brevi hac urbe decessisse, Titum contra diutius commoratum esse. Sed causa desideratur, cur Timotheo post brevem praesentiam munus omittere l i c u e r i t. Qua igitur ratione Timotheus sibi sumere potuit, ut infectis Apostoli mandatis Corinthum relinqueret? quam conditionem inducere possumus, qua Timotheo, consentiente Apostolo, cui certe non inobedientem se praebere vellet, inde discedere liceret? Optime nobis consultum esse, si ipsius Apostoli aliquod mandatum adhibere possemus, ut quantumvis mandatis non perfectis, Ephesum redierit, facile unusquisque animadvertet. Neque minus pro certo habemus, Apostolum, si quando Timotheum, neglectis mandatis, ad se redire jubere voluisset, rebus Corinthiacis, quae maxime sibi cordi erant, adeo prospexisse, ut, dummodo fieri liceret, alium quendam in locum Timothei revocati eodem mitteret. Apostoli quidem optatum, ut Timotheus iter jam confecerit, verbis inest 1 Cor. XVI, 11 *ἐκδέχομαι αὐτόν*. Sed inde non se-

quitur, Apostolum id voluisse, ut Timotheus, Corinthum advectus, citato cursu illinc recederet. E contrario eum tum temporis sperasse, fore ut Timotheus munere suo juste et ex debito perfungeretur, apparet e verbis 1 Cor. IV, 17: ἀναμνήσει ὑμᾶς τὰς ὁδούς μου. Ergo post missas demum I ad Corinthios litteras, aliquid accessisse jam constat, cur Ap. Corinthios Timotheo privaret. Item liquet, Apollum, qui jam tum temporis, quo Timotheus ipse mandatis suis vacare ab Apostolo putabatur, venturus esse (1 Cor. XVI, 18) dicatur, non eum fuisse, qui Timothei partes apud Corinthios suscepturus esset. Quare si destituti prioris ad Corinthios epistolae ope, e posteriori aliquem Timothei vicarium arcessere nobis velimus: in nullum fere, cui imponamus hoc munus, nisi in Titum incidimus. Quodsi statuere posse nobis videmur, Apostolum pro Timotheo Titum Corinthiis substituisse: quam facile declaratur, illud, in quo maxime haesimus, eum, cui e verbis prioris ad Corinthios epistolae munera perficienda traduntur, ea perfecisse non dici in posteriori epistola; illum autem, cui non traduntur in priori epistola, teste posteriori epistola, eadem perfecisse?

Porro, si accepta hac conjectura non minus Timothei quam Titi res per se obscurissimas clarissime illustrare potuerimus: nonne inde quoque maxime, id quod posuimus, commendabitur? Hoc nostro quidem loco de solo Timotheo maxime nobis est dicendum. Sed si intelligere non possumus, cur Timotheus, munere non absoluto, Corintho decesserit, nisi vicario aliquo usus sit, ita neque cur Titus Corinthum venerit, nisi alicujus vicarius fuerit: nonne, hac ratione comprobata, illa quasi tentatur, eaque vel ipsa comprobatur?

Supra demonstravimus post emissam demum I ad Corinthios epistolam Apostolum decrevisse, Titum Epheso Corinthum mittere (cf. pag. 46 sqq.).

Item cum Titum haud multo tempore post datam I ad Corinthios epistolam apud eos praesentem videamus, causam, cur Titum mittere Ap. decerneret, brevi intercessisse necesse est. Qua tandem de causa Ap., profectis epistolae nuntiis, constituit, ut praeter Apollum Titus quoque Corinthios adiret? Non enim temere et casu id evenisse credimus, ut Ap., qui Timotheum alicunde redire cuperet (1 Cor. XVI, 16), Titum alium συνεργόν eodem mitteret. Quaenam nobis probabitur causa, cur Apostolus ad ipsos Corinthios per breve tempus tam multos homines delegaverit? Timotheum, qui Erastum Corinthum etiam (Act. XVI, 11 — μετὰ τῶν ἀδελφῶν —; deinde e loco 2 Tim. IV, 19 fortasse verisimile fit, Erasto inde a prioribus temporibus cum Corinthiis fuisse necessitudinem) comitem habuisse videtur, Stephanum, Fortunatum, Achaicum, Apollum, Titum? Num conjicere licet, aut ecclesiam Corinthiam tam magnam aut negotia in ea suscipienda tam ampla et difficilia fuisse, ut neque Timotheus, rerum ecclesiasticarum satis peritus, neque nuntii Corinthiaci, earum — quum et a Corinthiis legationis honore digni habiti essent et ab Apostolo commendati (1 Cor. XVI, 18) — saltem non ignari, neque Apollos ἀνὴρ λόγιος (Act. XVIII 24), cujus nomen tota quaedam Corinthiorum factio prae se ferre vellet, ut hi omnes, quae perficienda erant, perficere non potuissent? Potius quum neque nimios religionis Christianae progressus in his ipsis ejus incunabilis, neque ecclesiae tum temporis adhuc satis parvae negotia immensa fere cogitare possimus: nisi de probatissimorum virorum aut facultate aut voluntate dubitare voluerimus, causa, cur Titus Apollo sit adjunctus, nobis inde derivanda esse videtur, quod Ap. ipse avocaverit unum eorum, qui res Corinthiacas stabilire jussi erant. Verum enim vero, dummodo omnes illi viri (praeter Titum), quos supra nominavimus, Corinthios revera sustentassent, quo tandem doctrinae aut disciplinae auxilio

Corinthii adhuc destituti fuisse censeri possint, adeo ut Titus quoque ad eos mittendus fuisset, plane non videmus.

Quae cum ita sint, et Timothei et Titi res hunc in modum aptissime comparari mihi videntur. Apostolus praeter factiones compescendas maxime id egit, ut pecuniae colligerentur. Nuntios quidem Corinthiacos, quamquam his quoque stipis cogendae curam fuisse impositam veresimile est, satis valituros esse ad rem perficiendam, Ap. propterea diffidit, quod tanquam indigenae tenuiori auctoritate apud Corinthios fruerentur, adeo ut Corinthii ab Apostolo eos in honore habere (1 Cor. XVI, 19: ἐπιγινώσκετε τοὺς τοιούτους) jubendi essent. Timotheo quoque, qui jamdudum Ephesum reliquerat, ut soli res feliciter successura esset, Paulus post ejus abitum, de ἔρισι et σχίσμασι certior factus (1 Cor. I, 10 sqq. VII, 1) timuit, quia ut ipse, ita Timotheus ipsius legatus non omnium Corinthiorum fiduciam haberet. Quapropter jam *epistolam* priorem scribens, ut Apollos inter Corinthios notissimus (Actor. XVIII, 27), quid? propriae cujusdam factionis caput (1 Cor. I, 12; III, 4 sqq. IV, 6) nuntios comitaretur, valde optabat (πόλλα παρεκάλεσα αὐτὸν 1 Cor. XVI, 12) et quamquam Apollos non statim εὐκαιρήσῃ, tamen postea ab eo impetravit, ut iter susciperet (cf. sup. pag. 47). Timotheum interim flagranter exspectaverat redeuntem, sicut jam antea ut rediret cupierat. Praesenti autem tempore Ap. nunc ipsum ampliorem evangelii praedicandi provinciam nactus — tum in ipsa urbe Epheso evangelium in dies majora cepit incrementa tum reliquas quoque Asiae proconsularis aliquot partes perlustrare voluit (cf. sup. pag. 32) — simulque adversariis impeditus (1 Cor. XVI, 9) maxime eum requisivit. Per Timotheum enim ipsum quum probatissimus ecclesiae Ephesinae esset, Paulus prae reliquis adjuvari potuit, Timotheique curae absens ecclesiam delegare maluit, quam Tito e. g., qui et idem fidelissimus, tamen non is

erat, qui Timothei locum fortasse magis strenui et accommodatioris et Ephesiis certe acceptioris quam Titus explere posset. Quare Ap. diu Timotheum opertus, Apollum nunc ad iter expeditum, ut Timotheum Corinthi inventum, quam primum ad se remitteret, monuit. Sed quum Timothei moram inde derivare posset, quod diutius apud Macedones versatus esset, et dubitare, an Corinthiaca negotia jam perfecisset vel etiam incepisset tantum: ei simili de causa, de qua antea praeter Timotheum ut Apollos Corinthios visitaret voluerat, Titum adjunxit, qui in factione Paulina, apud quam Apollos minus valeret, Timothei personam ageret. Neque profecto Apostolus falso conjecerat, Timotheum inter Corinthios munus suum nondum praestitisse. Nam Timotheus postea sub idem fere tempus demum e Macedonia Corinthum venit ac Titus Epheso.

Uterque igitur Timotheus et Titus quum mense Decembri convenerit Corinthi (cf. p. 45 sqq.), quando Timotheum inde recessisse judicabimus? Non opus erat ei majus temporis spatium ibi conterere. Titus enim omnibus in rebus partes ejus sustinere potuit, quid? quum nuperrime Epheso profectus novissima Pauli mandata accepisset melius fere exsequi potuit. Sin autem Timotheus nihilo secius aliqua de causa aliquantum temporis apud Corinthios simul cum Tito commoratus esset: propterea quod ipse festinabat, certe tardiora pecuniae colligendae negotia Tito soli delegavit ipseque, quum raptim modo quaedam ad ecclesiae statum emendandum praeciperet, quae et ipsa a Tito diligentius explicanda essent, hanc ipsam ob causam in II ad Cor. ep. silentio praetermittebatur. Deinde ne licuit quidem Timotheo Corinthiis diutius adesse. Jam I ad Cor. ep., quam a Timotheo adveniente statim esse lectam paene constat, saltem accelerare iter jussus erat. Per Titum vero et Apollum ei certius quoddam revertendi mandatum allatum esse, cui Timotheo, nisi forte inobe-

diens fuit, quam citissime parendum erat: tam facili conjectura nobis persuasum habemus, ut, dummodo reliquam totam rerum conditionem, quam attulimus, alicui probaverimus, hoc per se pateat. Denique quominus relicta post brevem moram Corintho alias quasdam regiones perlustraret, neque v. c. statim Macedoniam repeteret, eum Apostolo mandante prohibitum fuisse, vix est cur moneamus.

Quid multa? Jamjam sic proponimus, **Timotheum sub finem anni LVIII Corinthum ingressum sub initium anni LXIX Corinthiis vale dixisse, itaque ad finem mensis Januarii Ephesum advenisse.** Neque frustra et sine utilitate Timotheum hac via vel aliquot menses ante pentecosten Ephesum repetiisse demonstravimus, sed propter verbum *προςμεῖναι* id necessario effici putamus. Planckius (p. 94) quidem contentus est, Timotheum brevi antequam Paulus Epheso discederet illuc reduxisse, atque etiam e tardo Timothei adventu epistolae ad eum conscribendae causam elicit. Sed quum Timotheus monitus esse dicatur, ut diutius maneret (*προςμεῖναι*), prius etiam eum advenisse Ephesum et sane aliquantum temporis ibi versatum esse una cum Apostolo necesse est. Distincta autem nostra temporum descriptio, etiamsi propterea minus certo confirmata esse cuipiam videatur, quod singula verba nimis extorserimus, et quae indefinita essent, audacius definiverimus: inde tamen non adeo infringuntur argumenta nostra, ut nihil valeant ad id quod volumus comprobandum. Nam id saltem concedendum est, propter silentium illud in II Cor. fieri vix potuisse, ut Tim. tantumdem temporis, quantum Titus vel adeo magnam eorum mensium partem Corinthiis affuerit, quos Titus inter eos consumsit. Quare adeo nonnullos novi anni menses Corinthi moratus, Tim. nihilominus simul cum Apostolo aliquantisper Ephesiis interesse potuit, neque ulla causa, cur dubitetur, an hoc, quod fieri potuisse demonstravimus, revera ita evenerit.

Sin vero quis illud etiam a nobis postularet, ut Timotheus revera Ephesi mansisse historicis causis argueremus: iniquius sola hac in re nobis injungeret, quod in reliquo hoc criticae quaestionis genere interpres numquam fere assequi potest. Plurimis enim hujuscemodi in rebus in eo nobis acquiescendum est, quod nihil obstet, quominus quidquam statuamus; quid? omnibus his in rebus argumenta per se liquida, quibus contraria quaeque sententia utique rejiciatur, omnino non exstant. Nihilominus nostra in causa proponere saltem volumus, non verisimile esse, Timotheum una cum Apostolo Ephesum rursus reliquisse. In 2 ad Cor. epistola VII, 6 Paulus describens Macedonicae cujusdam ecclesiae *) statum, qualem quum primum advenisset (ἐλθόντων ἡμῶν) invenerit, sic pergit Apostolus: παρεκάλεσεν ἡμᾶς ὁ θεὸς ἐν παρουσίᾳ Τίτου. Quod quidem solatium non solum id fuisse, quod Titus laetos rerum Corinthiarum nuntios afferret, sed etiam illud, quod Titus Apostolum, cui ex itinere defesso et fortasse aegrotanti (οὐδεμίαν ἔσχηκεν ἄνεσιν ἡ σάρξ ἡμῶν) gravissimum ecclesiae defendendae et componendae (ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι**) munus

*) Procul fere dubio Philippicae, quam tanquam μητρόπολιν ecclesiae Macedonicae (Act. XVI) Apostolo Troade venienti primo adire et opportunissimum erat et consuetum.

**) Interpretes nonnulli iique spectatissimi vocem φόβοι non ad Macedonicarum ecclesiarum timorem, sed ad ipsius Apostoli propter res Corinthias perturbati sollicitudinem referendam esse censent. Sed nisi fallor vocabula ἐν παντὶ θλιβόμενοι disponuntur μερισμῷ quodam, qui in verbis ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι inest. Vox autem θλίψις minus apte adhibetur ad significandam internam perturbationem, quam ad vexationem extrinsecus profectam. Itaque mihi non tam e congruo esse videtur, se propter suam sollicitudinem θλιβόμενον nominare, quam propter aliorum timores. Ille enim loquendi usus valde improprius (secundum figuram effectus pro causa P. usus fuisset vocabulo timoris significante resti-

injunctum erat, sustentare potuisset, Paulus ipse aperte indicat. Nam nisi θλίψεις, tam μάχαι, quam

---

morem injicientes) et paene mirus est, hic autem facillime explicatur, siquidem Ap. propter Macedonum timorem maximis eum dispellendi curis ac negotiis dilaceratus fuisse putari iisque se (cf. 2 Cor. XI, 28) τεθλιμμένον nominare potuerit. Praeterea quum Apostolus ἐλθὼν εἰς Μακεδονίαν θλιβόμενος dicatur, θλίψεως causam aliquod fuisse necesse est, quod ei propter ipsum demum adventum ad Macedones accideret. Corinthiarum autem rerum statum aut jam antea habuit cognitum, aut si de iis quoque in Macedonia quid novi accepit, post παρουσίαν Titi, qui demum in sequentibus versibus narratur, id audivit. Insuper ipse numerus pluralis vocis φόβοι quam maxime suadet, ut non unius (Pauli) timorem, sed plurium (Macedonum) timores intelligamus. Quam apte denique haec ipsa, quam proposuimus, explicatio quadret et ad totum universae historiae et hujus epistolae nexum, hoc etiam breviter addere liceat. Paulus in prima deperdita ad Corinthios epistola adventum suum promiserat. Ut autem in secunda, nostra priori epistola XVI, 1 scriberet, se antea Macedones aditurum esse, ad hoc *ipsum* Macedonicarum ecclesiarum statu, cujus nuntii ei afferebantur, eum commotum fuisse statuendum est. Propter solas autem μάχας nostro loco memoratas consilium non mutasset; nam si fides et ὑπομονὴ bene se haberet: soli Macedones, etiam absente Apostolo, idem fere assequi poterant, ac si praesens esset; sed φόβοι Macedonum propter μάχας suscipiendas, quorum causa Apostolo fidelium lapsus timendus erat, commoverunt eum, ut mutato itineris consilio Macedones prius adiret quam Corinthios. Itaque hac ipsa ecclesiarum Macedonicarum descriptione praeter alias rationes, quae in epistola memorantur, haud exigui momenti causa aliqua continetur, unde Apostolus excusetur, quod Epheso relicta non statim Corinthios visitaverit. Quid? ut libere profitear, hoc gravissimum mutati consilii argumentum mihi esse videtur. Nam quod vulgo afferunt interpretes, Apostolum propter timorem aut dubitationem quandam Corinthios nunc vitasse, mihi minus probatur. Verum enim vero Apostolus non is erat, qui ullas aliquas rationes humanas extimesceret, neque Corinthiorum saltem plurimi ii, qui Apostoli statim ingressi auctoritatem prorsus despexissent. Licet igitur, aliae causae accesserint, nostra causa erat gravissima, cur Apostolus posteriori tempore ad Corinthios, quam ad Macedones profectus sit. Corinthii tutiori et firmiori

φόβοι ἐν τῇ παρουσίᾳ Τίτου fuissent imminutae: Apostolus non conjunctione ἀλλὰ utrumque versum 5 et 6 tam arcte inter se copulasset, neque bona alterius ecclesiae conditio satis ei praebuisset solatii de alterius ecclesiae statu malo. Titum autem advenientem multum valere potuisse ad θλίψιν Apostoli mitigandam nemo negabit, qui nobis concesserit, Paulum sustentatum per Titum ecclesiam turbatam et timidam facilius componere et confirmare potuisse, fortasse, si non sustentaretur, omnino id non potuisse. Sublatis vero φόβοις etiam vexationes ecclesiae minus nocebant. Apostoli igitur quum quam maxime interfuisse videamus, ut tum temporis viri alicujus strenui διακονίᾳ uteretur: probabilissimum sane est, eum ante Titi adventum *solum* tantis negotiis fuisse distractum. Profecto omnes gravissimas quas legimus voces, quales: ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ὁ θεὸς παρεκάλεσεν ἐν παρουσίᾳ Τίτου, si Apostolus jam ante hanc efficacem quendam adjutorem secum habuisset nec satis apte nec plene nec graviter explicare posse, et nisi forte Paulo inanem quandam ὑπερβολὴν tribuere volumus, eum antea in rebus Philippicis solum dimicasse ponere debemus. Itaque sic statuo, Apostolum si Timotheum Philippos secum duxisset non habuisse, cur Titi adventum tantopere praedicaret. Nam etsi vel Timotheo praesente τῆς παρουσίας Τίτου utique non piguisset Apostolum, tamen quum duos viros eximios Paulum et Timotheum ecclesiasticis illius temporis rebus satisfacere potuisse negari vix possit, adventui Titi non tantam vim tribuisset ad ecclesiam Philippicam pacandam. Solum autem Paulum et διδασκαλίας et κυβερνήσεως et διακονίας muneri satisfacere non potuisse cogitare licet*). Sed

statu utentes, et Apollum et Titum habuerunt, Macedonibus et inprimis Philippensibus ἔξωθεν μάχαις, ἔσωθεν φόβοις conturbatis, postquam Timotheus ab iis discesserat, e primariis verbi ministris nullus adfuit.

*) Paulus semper aegre tulisse videtur, si ipsi soli

quomodo Paulus et Timotheus, pro ea, quae cernitur in ecclesiasticis illius temporis rebus, et tenuitate et simplicitate a tertio quodam valde sustentari potuerint, non intelligo. Sin autem Timotheus tum temporis Apostolo non affuit: etiam in toto itinere eum non comitatus, sed Ephesi relictus est. Etenim si P. Timotheum Philippos secum duxisset: rebus Philippicis turbatis, praesertim quum Apostoli σάρξ οὐδεμίαν ἄνεσιν haberet, eum Timotheo, ut ipso derelicto alias quasdam Macedonicas regiones adiret, certe minus probatur. Neque magis concedo, fieri potuisse, ut Tim. Epheso una cum Apostolo discedens in alia quadam Asiae minoris urbe permanserit, P. autem solus inde in Macedoniam abierit? Nam in qua tandem urbe et qua tandem de causa id evenisse nobis persuadebimus? Denique licet silentium in his rebus plerumque parum valeat, ne illud quidem omittamus, Timotheum neque 2 Cor. II, 12, ubi Apostolum Macedoniam tendentem, neque 2 Cor. VII, 5 sqq., *ubi eum in* regione illa versantem invenimus, Titum autem utroque loco commemorari? Commemorato autem uno socio ulterius mentionem adeo in promptu esse, ut fere omitti nequeat, et praesertim si bis eadem commemorandi occasio sit, saltem perquam esse improbabile, quis est qui

---

institutio evangelica suscipienda esset, neque nisi comites nactus esset, uberiorem verbi fructum percepisse videtur (Act. XVII, 15. 16 ἐκδεχόμενον XVIII, 5); et nisi, quam vocant petitionem principii perhorresceremus, etiam locum 2 Cor. II, 12 nominaremus, qui omnium apertissimus esse videtur. Paulus se εἰς τὸ εὐαγγέλιον Troada venisse scribit; igitur per Titum adjutus, antequam in Mac. trajiceret, illius urbis incolas aliquantisper docere voluit. Tito non invento, θύραν ἀνεωγμένην non intrat, sed proficiscitur, et quidem non tam, quo cum Tito rerum Corinthiarum nuntio conveniret — fore ut in Titum in Maced., (quo Titus secundum l. 2 Cor. VII, 6 serius quam Ap. advenit) incideret, sperare non potuit — quam quod ipsi soli minus quieto animo evangelium praedicare liceret.

negaverit? Quocirca cur secundum locum priorem (2 Cor. II, 8) tam celeriter Troade exierit, causa inde facillime derivatur, quod nullo comite stipatus, Tito, quo abhinc uti vellet, praeter opinionem Troade non invento, solus evangelium praedicare nequierit aut noluerit. Itaque Timotheum quoque non secum duxisse, sed Ephesi reliquisse videtur.

Sed unus adhuc restat locus 2 Cor. I, 1, quem hucusque in nostra disputatione, quam totam proxime attingit, prorsus neglecimus. Cui quidem loco quum epistolae ad Timotheum adversarii maxime confiderent (Eichhorn. pag. 342, Schleierm. 116 sqq.) quasi inde omnino vetaretur, ne epistola ad Timotheum a. LIX ab Apostolo conscripta esset, quo omne partium studium procul haberemus, nos ita hunc locum tractare voluimus, ut argumentum, quo nituntur adversarii, adeo ex epistola ipsa confirmaremus et tum demum, quod ex confirmato colligitur, diligentissime refellere studeremus.

IV.

Inspicientes enim locum IV, 13: Ἕως ἔρχομαι, πρόςεχε τῇ ἀναγνώσει (cf. III, 14) negare non possumus, Apostolum id voluisse, ut Timotheus, ἕως ille quidem ipse ἔλθῃ, Ephesi maneret. Atqui duobus iisque apertissimis locis legimus, Timotheum multo prius, quam Ap. ullo aliquo modo Ephesum rursus adiisse potuerit, in ipsius Apostoli societate fuisse; altero jam memorato 2 Cor. I, 1, ubi Ap. Corinthios Timothei tamquam sibi praesentis nomine salutat, altero Act. XX, 4 ubi Timotheus inter eos fuisse traditur, qui Apostolum in Asiam reversurum Troade exspectarent. Quomodo igitur hoc, in quo loci epistolae ad Timotheum et posteriorum ad Corinthios litterarum acerrime inter se discrepant, componi po-

test? Nam alterum quidem locum Act. XX jam missum faciemus; quippe qui, quum per se liqueat, qua ratione Tim. (cf. Rom. XVI, 21) Apostolum e Macedonia Corinthum secutus hinc Troade praemissus sit, plus valeat, ut plane confirmetur, a Timotheo in Macedonia revera praesente salutatos esse Corinthios, quam ut inde difficultas adaugeatur, et novum aliquod argumentum ducatur. At sane satis superque uno illo loco impedimur in constituendo, quod posuimus, tempore. Quum enim certum argumentum, quod historicis testimoniis innitatur, ad hanc rem illustrandam utique non possit afferri: mera conjectura constituendum est Timotheum ita Paulo ep. II ad Cor. scribenti interfuisse, ut, relicta praeter Apostoli opinionem Epheso, eum in Macedonia sit consecutus. Adversarii quidem hanc, qua epistolam a. LIX esse scriptam defenderetur, rationem rejecerunt, quod nuspiam talis Timothei reditus commemoratur. Sed quem librum pervolventes juste exspectabimus, nos, etiamsi tum temporis in Macedoniam reversus esset, in reditus commemorationem incidere? Certe quidem non in Actis, quae totum tempus, quo Paulus in Macedonia versatus sit, uno versu (Act. XX, 2) describunt, atque adeo illud praetereunt, quod Paulus in II ad Corinthios epistola de rebus Macedonicis memorat. Sed eo certius fortasse in his ipsis II ad Cor. litteris? Ita, dumne facillime conjici possit, Corinthios jam compertum habuisse de Timothei apud Apostolum praesentia? Nam quid obstat, quominus Corinthii aut a Timotheo Macedoniam petente visitati, aut si ipse non adesset per fratres e vicina Macedonia proficiscentes certiores facti sint de rebus Timothei? Tametsi non video, cur utique postulandum sit, ut Corinthiis in epistola posteriori scripserit, Timotheum nuper Epheso ad ipsum venisse. Saltem in salutandi formulis Ap. nunquam, qua conditione comites usi fuerint, referre solet (cf. p. 51). At vero

quamobrem Timotheus Ephesum reliquit, quum Ap. diserte ei praecepisset, ut, donec ipse rediisset, pergeret in administrando munere? Quae interpretes quidem (v. c. Heinrichsius) aut de seditione renovata in medium proferunt, qua coactus Timotheus aeque ac Paulus antea ex urbe exierit, (tumultum, qui jam Paulo praesente cessavit, iterum exarsisse neque ullis causis comprobatur, neque per se verisimile est) aut de ignavo, ne iterum plebs tumultuaretur, Timothei timore (quis te Pauli, τέκνον πιστὸν ἐν κυρίῳ (1 Cor. IV, 17), ignaviae insimulare usus sit), aut de Timothei erga Apostolum amore, propter quem ille Apostoli absentiam sustinere non potuerit (sane maximum erga Apostolum amorem obediendo exhibere voluerit), cum his omnibus consentire nullo modo possumus. Eadem fere ratio in Planckii (p. 92), sententiam cadit, qui propter falsorum doctorum pertinaciam, quam Tim. non satis coërcere potuerit, eum Epheso abiisse autumat.

Nos ne insolitum aut ineptum aliquem casum in auxilium vocemus, Timotheum nulla re in Macedoniam reducere possumus, nisi alio quodam expresso, quod contra praeceperit, ipsius Apostoli mandato. Quale quidem Apostoli praeceptum sit statui liceat, ita ut cum Apostoli conditione, qua tum temporis utebatur in Macedonia, et cum temporis computatione consentiat, in gravissimam abit quaestionem. — Primo utile erit, reminisci, qualis inde a priori missione Timotheo fuerit cum Macedonibus necessitudo. Tum quidem eo missus fuerat, ut stipis colligendae initium faceret, animosque Macedonum ad Apostoli adventum praepararet. Quare optabile esse potuit Apostolo, si nunc, quamvis Timotheum praemisisset, in difficultates incideret — in quas eum revera incidisse, efficitur quum ex eo, quod diutius ibi commoratus sit, tum e loco 2 Cor. VIII, 7 —, ut Timotheus ipsi nunc stipem exigenti auxilium ferret. At facile quis arbitretur, id quod Schleiermacherus

pag.

pag. 124 proponit, et quidem ex loco Act. XX, 4 effecisse videtur, Timothei in Macedonia praesentiam fuisse supervacaneam, quod Ap. tot socios circum se habuisset. Atqui omnes socios, qui l. c. memorantur, in Maced. apud eum fuisse, vix est credibile. Potius praeter Timotheum Macedones tantum ibi nominati jam in Macedonia in Pauli societate fuisse; reliqui autem, quorum ibi nomina afferuntur Corinthi demum cum Apostolo congressi esse putari possunt. Attamen quamvis hi omnes jam in Macedonia apud Apostolum fuissent: tamen pro terrae latitudine, in qua Ap. usque ad fines Illyricos et quidem locis valde disjunctis evangelium propagavit, et pauci admodum socii fuissent, neque eorum quisquam Timothei, prae caeteris Apostolo ob virtutem gratissimi, partes sustinere potuisset. Porro facile est suspicatu, Apostolum non dimisisse a latere suo Timotheum, eoque usum esse praesente suorum consiliorum ministro et adjutore, Macedonibus contra a Luca memoratis *negotia in* patriis ipsorum urbibus conficienda mandasse. Caeterum eum ipsum fuisse ecclesiarum Macedonicarum jam vidimus statum, ut Apostoli Timotheum secum habere plurimum interesse posset. Nam ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι; quae utraque quamquam inde ex Titi adventu in melius verterentur, tamen illico vix ita prorsus removeri potuerunt, ut sit cur dubitemus, an Tim. etiam propterea in Macedoniam reducere nobis liceat. Insuper Ap. ideo fortasse eum ad se vocavit, ut haberet, qui Titi mox ad Corinthios cum II ep. profecturi in Macedonia susciperet partes. Denique si quis res Macedonicas prorsus omittere mallet: etiam illud conjicere liceret, Paulum cupivisse, ut in ecclesiis Achaicis confirmandis, quibus parvum modo tempus insumere posset (Act. XX, 3), a Tim. adjuvaretur et quum una cum Timotheo Corinthios adire vellet, jam in Macedonia cum eo congrederetur. Quid multa? ubi tot et tam faciles conjecturae adhiberi possunt, ibi jam unam earum,

quaecunque sit, accipere et pro vero habere, non dubitamus.

Sed quo tandem tempore Apostolum Timotheo, ut ad ipsum veniret, mandavisse statuemus, quin probabilis et temporis et rerum gestarum ratio repugnet? Quam quidem quaestionem cum constituendo ipsius epistolae tempore, in qua Timotheus non in Macedoniam venire, sed ἕως ἔλθῃ Apostolus, Ephesi manere jubetur, arctissime conjunctam esse, neminem fugiet. Itaque antequam ad id quod quaesitum est respondeamus, reliquos epistolarum locos percenseamus, ut ne, omissis iis, incautam quandam et praeproperam assequamur conclusionem.

V.

Propter epistolae verba: ἵνα παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν caett. (cf. I, 3. 19, 20; VI, 20), qui falso docerent et quibuscum Timotheo Ephesi relicto esset pugnandum, in ecclesia Ephesina tum temporis, quum Apostolus ei valediceret, fuisse necesse est. Quod quidem defendentibus, prae reliquis Schleiermacherus l. c. p. 124. (cf. Eichhorn p. 345) nobis opponit, quo tandem modo fieri potuerit, ut Paulus Act. XX coram presbyteris Miletum arcessitis perorans altissimo silentio praeterierit, sibi et Timotheo unquam cum ἑτεροδιδασκαλοῦσι controversiam fuisse? quomodo deinde, ut falsos doctores Ephesiis jam interfuisse verbis tam apertis negarit, ut hujusmodi homines, qui futuro tempore eos essent adituri et seducturi (Act. XX, 31) vaticinio modo indicaverit?

Quodsi primum quaerimus, an ex Actorum silentio satis comprobetur, his de rebus tum temporis nihil esse actum, orationis indolem et consilium inspicienti elucebit fortasse, temere in hisce verbis Paulinis distinctam controversiarum cum falsis doctoribus habitarum mentionem exspectari.

Quid enim? num hac oratione publica omnia, quae tum temporis presbyteros convocatos monuit Apostolus, contineri putamus? Minime; nisi forte crediderimus, presbyteros modo arcessitos, dictis paucis his verbis, statim relictos esse ab Apostolo. Potius quum aliquot dies iis impenderet, ut P. (v. 31) per III illos annos, quos inter eos versatus est, *οὐκ ἐπαύσατο νουθετῶν ἕνα ἕκαστον*, ita eum nunc quoque privatim singulis, quae erant uniuscujusque ingenium et mores, praecepisse, omnino est verisimile. Quare quin Apostolus etiam de iis, quae ad falsos doctores, si qui Ephesiis irrepsissent, et ad controversias pertinerent cum iis habitas, si quos cum iis habuisset Apostolus aut Timotheus, fuse sit collocutus, quis est, qui dubitaverit? Sed quo intentius et justius haec confirmamus: eo certius et acrius, in ea oratione harum rerum aptum fuisse locum, negamus. Non possumus provocare nisi ad sensum nostrum, ex quo haud secus judicare licet, ac si nostro loco, quid Timotheus *cum falsis* doctoribus egisset, qui essent magistri isti, quid singulis opponendum esset, distinctius legeretur, totius orationis pulcherrimae naturalem tenorem interruptum et proprium ejus colorem abstersum esse. Profecto ut nunc propter arctum et simplicem nexum, qui nullas res remotiores excipit, integram Apostoli orationem legere et proprium ingenii Paulini ardorem mihi videor quasi sentire: ita verba minus incorrupte a Luca reddita esse putarim, ab eoque Paulum ea, quae auditoribus per se aperta et jam antea ab Apostolo inculcata essent, lectorum causa iterum loquentem inductum esse.

Finis quidem totius orationis in eo cernitur, ut Apostolus integrum suum, qui periculum sprevisset (v. 18. 19), lucrum non quaesivisset (v. 32), evangelii amorem Ephesinis presbyteris persuasissimum reddat, in persuasionemque adductos gravissime adhortetur, ut pari constantia, diligentia et continentia ecclesiae etiam in posterum multifariam periclitaturae saluti prospiciant, eique sese dent

totos. Non presbyterorum culpam, sed, si quam contraxissent, se ejus innocentem esse ostendere studet (v. 25); non punire vult eos, sed amore amorem inflammare; non praeterita castigare, quod quum mutare non posset frustra fecisset, sed praesenti tempore, motis eorum animis eorumque studio recens excitato, res futuras dirigere et formare sibi proponit. Quid? num talis oratio, quae solum ad intimam familiarissimamque, quae sibi cum ecclesia erat, necessitudinem respicit, et remotiora quaeque omittit, fusam falsorum doctorum descriptionem exhibebit? Nequaquam; sed ut *ἐπιβουλαῖς τῶν Ἰουδαίων* commemoratis, P. postulat, ut presbyteris, quid in animo habeat, obversetur, ita etiam de falsis magistris loquens idem exspectare potest. Neque potuisse quidem Apostolum aliter verba facere, proponentes nobis scenam, qualem Lucas praestantissime depingit, facile videbimus. Ecce Paulum mox discessurum, presbyterorum carissimorum corona stipatum, moerore, cura, sollicitudine obrutum, inspice in pectus apertum amore redundans. Ecce episcopos, dolentes, quod Ap. non revisuri essent, flentes prae dolore, fortasse etiam prae pudore et poenitentia, haerentes in discedentis collo eumque deosculantes. Ecce utrosque genua flectentes, supplicantes, ut evangelium proficiat, ut ecclesia Ephesina sit salva, ut Apostolus a periculis instantibus tutus prospere ad eam redeat. Nonne tota oratio, quam discessus statim secutus esse videtur, eandem moestam et flebilem luculenter prae se fert indolem? Num ad hoc temporis momentum presbyterorum, e quibus ipsis nonnulli falsae doctrinae propensiores indicantur (v. 30), vituperium distulerit Apostolus? Nonne potius ita semper fieri solet, ut si ii, quibus valedicitur, in aliqua re sint objurgandi, vituperia, quae discedentium animos exacerbare aut saltem dolorem augere possint, ante extremum temporis punctum absolvantur, et ea quae mutuum amorem stabiliunt, eo usque reserventur, ut his ulti-

mis verbis objurgatio excusetur et leniatur? Nonne tum gravior saltem quaeque reprehensio maxime a quoque retinetur, si is, qui ea est dignus, moestus nobis adstat? Nonne multo magis etiam si ii, ad quos oratio habetur, non omnes (ἐξ ὑμῶν αὐτῶν) vituperandi sint? Sontesne quoque insontium gratia lenius pertringuntur (illos autem nihilominus levi digito tactos esse, statim patebit)? Denique qui in eo est, ut amicissimos relinquat, in iis solummodo occupatus, quae sibi eripiuntur, virtutes illorum majoris aestimans, vitia fere non videt, itaque quid reprehendat ne animadvertit quidem. A quibus ingenitis animo humano legibus Apostolum cur eximamus quum non videamus: accuratiorem mentionem, etiamsi praeterito tempore quidam falso docuissent, in Actis exspectare vix ac ne vix quidem est consentaneum.

Porro Schleiermachero (p. 122) miranti, quod in I ad Corinthios ep., in qua ἀντικείμενοι (XVI, 9) vocati sint, doctorum falsorum nulla fiat mentio, praeterquam quod non videmus, cur disertis verbis expressa utique expectanda sit, objicere possimus, litteras illas, modo quae supra posuimus, rite constituerimus, non paucas hebdomadas, sed septem circiter menses, antequam Epheso discederet, esse scriptas. — Idem opponit, Paulum, si jam ante conventum Milesium, qui pravas opiniones sectarentur, fuissent inter Ephesios, consilii semel capti non adeo tenacem Epheso eo tempore, quod sibi constituisset, nondum profecturum fuisse, sed remansurum, quo ipse pravos istos turbatores coërceret. Sed quod Ap. in ecclesia, cui per tres integros annos interfuisset, etiamsi omnia in optimum statum non essent redacta, diutius immorari noluerit, non est cur miremur. Apostolo aliarum quoque ecclesiarum cura erat, neque in una eademque urbe permanere licebat, donec omnem pravitatem vicisset, quae, quo plures et diversioris generis homines in dies evangelium sibi adderet asseclas, eo magis quasi subolesceret. Quin etiam Ap. nonnunqum id secutus esse videtur, ut ec-

clesiae ipse interdum non praeesset, quo, ipso absente hominum studia manifestarentur, bonique sibimetipsis consulere consuescerent. Certe similem quandam agendi rationem in rebus Corinthiacis iniisse videtur Apóstolus (2 Cor. II. III).

Denique quod falsi doctores modo **vaticinio** indicentur, minime id obstat, quominus jam exstiterint, qui perperam docerent. Nam v. 29 et 30 non falsi doctores cujusque generis praedicuntur, sed certi quidam innuuntur magistri. Traduntur enim v. 29 *λύκοι βαρεῖς* adventuri (*εἰςελεύσεσθαι*) itaque tales describuntur, qui, ut Gal. II, 4 e peregrinis ecclesiis in Ephesinam invasuri (*παρείςακτοι*) et ipsorum Ephesiorum nonnullos seducturi essent. Quare jam tunc temporis alius cujusdam farinae falsos doctores ex Ephesiis ipsis exstitisse nullo modo negatur. Exstitisse autem revera, quamquam apertis verbis propter causas, quas proposuimus, non legitur, tamen totius orationis indoli subjectum esse mihi videtur. Nam quid solennis illa, quae omnium versuum sensum inde ab orationis initio comprehendit, finemque eorum indicat, obtestatio: *Διὸ μαρτύρομαι ὑμῖν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ, ὅτι καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων* sibi vellet? Cur gravi hac formula, qua eadem Judaeos Corinthios *ἀντιτασσομένους και βλασφημοῦντας* (Act. XVIII, 6) increpat, usus esset, nisi ecclesia Ephesina propter res praeteritas in crimen vocanda fuisset? Porro verba: *καὶ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν ἀναςήσονται ἄνδρες λαλοῦντες διεςραμμένα* — vix tam nude edixisset, nisi propterea quod jam antea errores viguerant et in praesens etiam vigebant aut latebant, timere debuisset, ne, qui postea irrepturi essent (v. 29) in ecclesiam, reperirent, qui ipsos sequerentur. Fingas enim tibi, Apostolum nullo modo permotum praesenti rerum statu tale quid purae et integrae ecclesiae crimini dedisse? Nonne Paulum *χαρίσματι προφητείας* — minus caute et amanter usum fuisse credideris, si homines sinceros et nullius hac ex parte peccati sibi conscios *διεςραμμένα* docturos nominasset? Eun-

dem Paulum tam immite locutum fuisse opinemur, qui 1 Cor. XIII et XIV, omnium χαρισμάτων finem amorem esse, vehementer affirmat? Nonne tanti criminis accusati presbyteri, qui verba illa maxime ad se tanquam praeceptores referre debebant (nam v. 13. οἱ μαθηταὶ illis, e quibus falsi magistri proditurі essent, oppositi esse, itaque verba ἐξ ὑμῶν αὐτῶν ad ipsos πρεσβυτέρους referenda videntur), simili modo, quo Christi discipuli de domini proditore inter ipsos versante certiores facti, sciscitati essent, quisnam iste esset, quem diceret? Qua quidem criminatione offensos fuisse presbyteros, omnino non legitur in Actis, quamvis verba Pauli satis bene secum reputasse tradantur (v. 38). Quid multa? tota oratio reprehensionem adeo prae se fert, ut eam, nisi jam falsi doctores exstiterint, non intelligam.

VI.

In epistola ipsa Ap. bis promittit, se Ephesam reversurum esse, tum cap. III, 14: ταῦτά σοι γράφω ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον, tum IV, 13: ἕως ἔρχομαι, πρόςεχε τῇ ἀναγνώσει eaett. Sed Apostolum reditum ad Ephesios in proposito habuisse, qui epistolam impugnant, utique negant (Eichhornius p. 346 et 349, Schleierm. p. 123, de Wette p. 271). Apostolus tres menses Corinthi commoratus (Act. XX, 2. 3) in Macedoniam revertens, ut Hierosolyma veniret, portu Philippico exivit. Quare si id, quod epistola nostra postulat, accuratissime ante oculos habemus, nil amplius opus est nos probare, quam Apostolum, quum anno LIX relicta Epheso, Macedoniam petens epistolam scriberet, Ephesum rursus adire in animo habuisse. Quod quidem si accuratius perpenderis, neque negari neque probari posse intelliges propter brevitatem Actorum saepius memoratam, quae ne res quidem ab Apostolo in Macedonia gestas, quid dicam, ejus consilia no-

bis prodiderunt. Id vero assequi posse nobis videmur, ut probabili conjectura rei nostrae fidem satis magnam conciliemus. Etenim si prius iter Hierosolymitanum, quod antea, pariter in Macedonia commoratus ex ipso Corintho instituit, cum nostro itinere contulerimus, Apostolus in Syriam profectus esse et profecturus Ephesum appulisse dicitur. Quamquam hic objicere quis possit, Paulo prius iter instituenti causam aliquam praecipuam non defuisse, cur Ephesum obiret; Aquilae nempe et Priscillae eo proficiscentium comitem eum esse voluisse atque tum quoque sine hac causa Ephesum transiturum fuisse. Nam in Syriam proficiscenti non opus est per mare Aegaeum navigare. Attamen navi vehenti hae ambages tam parvae erant, — praesertim quum veterum navigia, quae si fieri posset, per noctem cursum non pergere solerent, quam primum terram quaererent, — ut festinanti etiam vix essent aestimandae. Philippis vero quum Paulus postea navi abiret, quis tandem est, qui dubitet, an Paulus Ephesum, carissimam ecclesiam, adire voluerit? Interpretes (Eichh. p. 350) ideo contra disputant, quod Act. XX, 16 P. Ephesum praeternavigasse et Miletum appulisse narratur. Ex his vero ipsis Paulum antea Ephesum adire voluisse facillime demonstratur: nam nisi antea sibi proposuisset non παραπλεῦσαι, hic non diceretur κέκρικέναι παραπλεῦσαι. Quid? quod ex hac ipsa Lucae narratione efficitur, Paulo antea certissimum fuisse Ephesios obire, adeo ut comites et scriptor paene mirati esse videantur, quod non obierit. Propria quaedam excusatio afferenda erat Lucae, quod Ephesum fere stringens, eam praeternavigaverit allatâque satis declaratur, cur P. consilium mutaverit. Nam μετὰ τὰς ἡμέρας τῶν ἀζύμων ἀπὸ Φιλίππων ἐκπλεύσας (Act. XX, 6) sane habuit, cur, si pentecosten Hierosolymis agere vellet, χρονοτριβῆσαι ἐν Ἀσίᾳ nollet (Act. XX, 16), sed accelerarect cursum. Tametsi equidem non puto, Paulum ideo Ephesum non attigisse, ut circuitum brevissi-

mum per sinum inter Chium et Samum, in quo Ephesus est sita, vitaret, sed potius ne a dilectissima ecclesia Ephesina diutius ibi morari adigeretur. Nam πρεσβυτέρους Miletum arcessere id nisi plus, tamen certe non minus poscebat temporis quam si ipse Ephesi ad terram venisset, ibique cum presbyteris eadem, quae Miletum convocatis diceret, collocutus statim Epheso exiisset. Lucas quoque ipse, ni fallor, per περίφρασιν: ὅπως μὴ γένηται αὐτῷ χρονοτριβῆσαι (ne ei accideret) eandem, quam nos explicavimus, praeternavigationis causam in animo habuit, quod P. timuisset, ut Ephesios adeuntis voluntati non omnino permissum fuisset, quantum temporis inter eos consumeret. Itaque omnia plane sunt consona cum locis ep. prioris ad Tim., neque ullus residet scrupulus, an Ap., quum priori tempore in Macedonia versaretur, Ephesum adire voluerit.

Denique objiciunt adversarii (Eichh. 349 Schleierm. 123), ep. l. c. id subesse, ut P. Ephesum non obiter *tantum tangere*, sed etiam l o n g i u s quoddam tempus ibi morari voluerit; cujus quidem morae Apostolo in itinere, quo revera Hierosolyma assecutus est, non fuisse locum, sane concedamus viris doctissimis. Sed alia quaestio est, an priusquam in Maced. exiret, speraverit Ap., fore ut tempus aliquod commorandi sibi reservaret. Quod quidem pariter negare si Eichhornius sua cogitur mensium computatione, quum jam refellisse eum nobis videamur, nihil nostra interest. Schleiermacherus autem, quanto temporis spatio evenerint res, non exponit. Quare nos, qui ostendimus, P. totum fere annum Epheso abfuisse, expeditissime statuere possumus, Paulum tum, quum in Macedonia esset, sperasse fore, ut et res Macedonicas et Achaicas tam celeriter absolveret, ut aliquid temporis Ephesiis etiam num interesse posset. Quam quidem spem in verbis ἐλπίζων πρός σε ἐλθεῖν τάχιον Apostoli animo obversatam esse, per se satis est verisimile. Contra tempus, quod fieri posse ut βραδύνῃ jam nunc

indicat, et propter res Macedonicas postea revera moratus esse facile putari potest, Ephesiis non detrahendum fuisse, id quod adversariorum argumentationi subest, nullis epistolae verbis arguitur. Itaque etiamsi non temere postularetur, ut ostendamus, Ap. diutius Ephesi manere voluisse (nam quis hoc ipsum promissum e verbis ep. IV, 13, quae Eichhornius gravissime premit, extricandum sibi sumeret?): tamen P., si his ipsis verbis hoc pollicitus esset, nil ineptum promisisset. Nam sicut c. III, 14 verba *ἐλπίζων τάχιον* propterea priorem obtinent locum, quia P. tum temporis *τάχιον* venire exspectaret, ita tota ep. ideo quoque eadem spe tenetur. Verum nos quidem tale quidquam promissum, extortis omnibus verbis, investigare non potuimus. *Potius* alia quadam ratione hunc locum in nostrum usum convertamus, elicientes inde, P. Epheso Timotheum Hierosolyma secum abducere voluisse: nam verba *ἕως ἔρχομαι, πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει* ita solummodo facillime et plenissime explicari mihi videntur, ut Tim., si Ap. advenerit, non amplius *προσέχειν* jubeatur. Timotheo quamquam Epheso praesenti licuisse esse inerti, vix cuiquam persuadebitur, eique, Apostolo diutius remanente, missionem aliquam suscipiendam fuisse, pariter et ipsum non probabitur. Nam quam in regionem, quum Ap. omnes fere ecclesias a se constitutas nuperrime ipse confirmasset, P. Timotheum mittere potuisset? Quibus de causis Ap. tunc, quum ep. scriberet, id egisse, ut Timotheum Epheso arcessitum Hierosolyma secum duceret, et hujus propositi memorem scripsisse: *ἕως ἔρχομαι*, jam hic statuimus (quod statui et posse et oportere infra curatius demonstrabimus). Postea quidem Ap., quum Tim. interim jam cum eo in Macedonia convenisset, non opus fuit, ut Timothei arcessendi causà Ephesum appelleret. Fortasse igitur, ut Ap. Ephesum praeternavigare volebat, quoniam Hierosolyma tendenti properandum esset: ita illud ipsi licuit, quoniam Ti-

motheum, cujus arcessendi causa Ephesiorum urbs ei fuisset adeunda, jam secum haberet.

VII.

Denique πρεσβυτέρους et διακόνους ecclesiae Ephesinae jam praefuisse propter praecepta, quae cap. III et V traduntur, statui oportet. Quod quidem in locis citatis tam luculenter ob oculos positum est, ut ne verbo quidem hoc probare opus sit. Quare equidem Hugio (p. 340) et Bertholdtio (p. 3604) qui Timotheo eos, qui muneribus his fungerentur, creandos demum fuisse censent, contradicens, Schleiermachero (p. 117), Eichhornio (p. 397 seq.), Planckio (p. 91) et Wegscheidero (p. 33) omnino assentior, qui, quamvis caeteroquin quam maxime inter se discrepantes, in eo tamen inter se conveniunt, epistola nostra postulari, ut Christiani Ephesini jam in certam ecclesiae bene constitutae formam fuerint redacti. Ac profecto si ecclesia, cui Paulus per tres annos curam impenderat, inordinata adhuc describeretur: epistolae post illos annos scriptae integritas minus bene defendi posset. Neque aliud quidquam, si αὐθεντίαν obtinere vellemus, restaret, nisi ut ad primum quod fieri possit tempus confugeremus, arbitrariam itaque Moshemii conjecturam (cf. p. 21) amplecteremur. Eodem modo nihil in epistola inesse, cur ad posteriorem vitae Paulinae aetatem descendamus, id quamquam et huc pertinet, infra, postquam etiam inferiora illa tempora pervestigaverimus, et aptius et luculentius demonstrabimus.

Sic perlustratis omnibus epistolae locis, quibus grave et apertum temporis definiendi momentum tribuere potuimus, jam nisi inde a pag. 66 unus adhuc resideret scrupulus, nullus nos prohiberet, quominus epistolam anno LIX scriptam esse statueremus. Quaeritur enim, an mandatum illud Apo-

stoli, quod posuimus, ut Timotheus Epheso ad ipsum in Macedonia versantem veniat, ita accipi liceat, ut cum probabili aliquo rerum gestarum tempore et ordine consentiat. Quam quidem quaestionem persequentes, accuratius etiam id, quod ex illa pendet, efficiemus, quo anni LIX mense epistolam conscriptam esse statuendum sit. Quare si in memoriam revocamus, Apostolum mense Majo Epheso discedentem, mensis Junii fine in Macedoniam venisse, indeque ad extremum mensis Decembris discedentem, m. Novembri epistolam II ad Corinthios, cui conscribendae Timotheus interrat, composuisse: quatuor vel quinque menses efficiuntur, per quos Paulus et Timotheus segregati fuisse credi possint. Quod quidem temporis spatium inter omnes, quas proposuimus, res gestas dividatur necesse est; hujus temporis initium Paulus sibi expetit, quo epistolam ad Timotheum conscripserit; insequenti fere mensis tempore nuntii, qui eam afferrent, opus habuerunt; secundo mense alii novi nuntii, qui Timotheum venire juberent; tertius denique Timotheo adhibendus erat, quo viam usque in Macedoniam susciperet. Itaque quum his rebus, quas enumeravimus, solummodo trium mensium opus sit: quatuor aut quinque illi menses modo ita non sufficerent ad epistolae rationes computandas, si Paulus tardius, quam tres menses ante II ad Corinthios epistolam conscriptam, nostras composuisset litteras. Quo igitur mense Paulus epistolam nostram conscripsit? Epistolam certe non in itinere ad Macedones esse scriptam exinde patet, quod Apostolus in epistola III, 14 jam de reditu suo commemorat; quem quidem commemorare vix modo profecti, sed locum saltem, ad quem quis tendit, jam nacti, est ratio et consuetudo. Sed quominus b r e v i post adventum mense fere Julio scripserit, nihil obstat. Quod ut ponamus tempus, aliquantulum eo commovemur, quod Apostolus, qui in epistola ad Timotheum nullorum nomine salutat, per ipsum primum, quo in

Macedonia egit, tempus neminem et ne Titum quidem habuit socium (cf. p. 58 sqq.), a quo mox praesente in terra, ubi P. erat, prae reliquiss alutatum fuisse Timotheum exspectaremus. Mense igitur Julio scribit Apostolus, se Ephesum esse venturum; deinde sub idem tempus, quo Titum a Macedonia ad Corinthios mittere constituit, — quam quidem Titi profectionem prae reliquis, quas supra (p. 65) proposuimus, assumo causis, cur Tim. in Mac. redire jusserit, — Timotheum ad se revocat. Posteriorem autem ad Corinthios ep. scribendi eamque per Titum mittendi consilium Apostolus sine dubio, quum primum rerum Corinthiarum statum accuratius audivisset, i. e. statim post adventum Titi cepit. Titum, qui jam Troade cum Apostolo convenire jussus erat, nimis longum temporis spatium cum Apostolo non convenisse, jam reprobavimus. Itaque Apostolus, Tito mense Julio adhuc vel Augusto haud diu post litteras ad Timotheum conscriptas Macedoniam ingresso, tum temporis Timotheo, ut *Titi mox* profecturi partes susciperet, mandare voluit. Quod quidem mandatum qui afferret, P. facile nuntium aliquem potuit sibi comparare ex mercatoribus, Philippos et Ephesum, celeberrimos suarum terrarum portus, frequentissime obeuntibus. Timotheus autem jussus statim proficisci, si mensem Septembrem itineri insumsisset: m. Octobri cum Apostolo rursus convenit, adeo ut salutes nomine Timothei Corinthiis in II epistola dictae, quamquam mera conjectura, tamen nequaquam inepte explicatae esse videantur.

A caeteris plane discrepantem B. Bertholdtius (p. 3571) tulit sententiam. Putat Paulum epistolam non tum scripsisse, quum Epheso in Macedoniam proficisceretur aut ibidem versaretur post hoc iter, sed non prius, quam Corintho per Macedoniam iter faciens Hierosolyma peteret. Fieri enim non posse, ut Ap., dum prius in Macedonia versa-

retur, statim Ephesum reverti, id quod 1 Tim. III, 14; IV, 13 pollicitus sit, in proposito habuerit; nam adhuc quum Corinthi fuisset, recta via in Syriam eum tendere voluisse, neque igitur Ephesum attingere ei fuisse in animo. Corintho autem Timotheum, dum P. in Macedoniam proficisceretur, Ephesum missum, interque viam Apostolo Timotheo nostram epistolam mittendi per fratrem proficiscentem occasionem esse oblatam.

Sed primum, quam rationem de mutato itineris consilio Bertholdtius posuit, qua tritum illum temporis definiendi modum rejiceret, suumque induceret, ea temere constituta esse videtur. Demonstrari enim nullo modo potest, aliud quidquam mutatum esse ab Apostolo in proposita via, nisi hoc, ut non Corintho, sed Philippis navem solveret; quod autem Bertholdtius contradixit, Apostolum Judaeorum insidiis, quorum in Actis sit mentio injecta, fuisse coactum aliud capere proficiscendi consilium, id permirum, imo fabulosum fere judicaverimus. Bertholdtius enim (neque aliter Eichhornius p. 46) Apostolum terrestre in Syriam iter facere voluisse censet, sed comperto Judaeos inter viam ipsum interfecturos esse, in Macedoniam esse profectum. Quinam isti Judaei, qui in itinere mortem parant Apostolo? Syriaci profecto aut certe in Asia habitantes? Nam si Apostolum inter viam occidere vellent Judaei: hos certe extra Corinthum insidiatos esse ponendum est. In mari autem, quod Apostolo Corintho in Syriam ituro trajiciendum erat, qui fieri potuisset, ut ἐπιβουλὴ τῶν Ἰουδαίων ipsi periculum afferret? Igitur si Apostolo Judaeos Syriacos insidiatos esse, Bertholdtius credidisse videtur: primum neque, qui harum regionum Judaei Syriaci certam, qua Ap. proficisceretur viam compertum habuerint, neque quomodo Ap. de insidiis in tam longinqua regione sibi paratis sit certior factus, satis apte et facile conjicitur. Deinde, quid Apostolum in Syria de vita periclitatum, ut Philippis et non Corinthi navem solveret, juvare

potuit? Quidni Corintho iter, quod sibi proposuerat, Hierosolymitanum recta via instituens, solummodo eum locum, quo ἐπιβουλὴν ipsi imminere scivit, evitare potuit? Itaque non Judaeis Syriacis, sed ipsis Corinthiacis, qui Paulo a priore tempore infestissimi erant (Act. c. XVIII, 12) Paulo insidias struxisse, luculenter patet. Sed Judaeos quoque Corinthios eos fuisse, qui Apostolum ab itinere proposito prohiberent, adeo negamus, ut earum vexationes solae ne ad Macedones quidem reduxissent Apostolum. Nam ut vel maximam nobis calamitatem, quae Apostolo accidere potuisset, fingentes ponamus, Judaeos Corinthios custodias collocasse ad portas, per quas Paulo portus Kenchrearum petendus erat, vel adeo ad portum ipsum, unde navem solveret, P. non Philippico, sed propiori aliquo v. c. Atheniensi uti potuisset. Nobis causa ut obiter eam afferamus, cur Ap. Macedoniam repeteret, ea fuisse videtur, quod quum propter ἐπιβουλὴν citius, quam vellet urbe exiisset, Lucam reliquosque Macedones arcessere vellet (cf. Excursus). Itaque tantum abest, ut probetur Apostolum, p o s t illud demum tempus, quo in Macedoniam revertendi consilium cepisset, Ephesios quoque denuo adire sibi proposuisse, ut verisimile sit, eum ab hoc ipso tempore, quae p r i u s voluerit, noluisse amplius perficere propter tempus Macedonico itinere perditum. Nam reditus in Macedoniam diutius fortassis eum detinebat, quam Corinthi commoratus fuisset, nisi Judaeorum insidiis expulsus fuisset. — Deinde si Bertholdtius l. 2 Cor. I, 8. 9 periculum, in quod Ephesi inciderit Ap., commemorat, unde fieri non potuerit, ut Ap. statim ad Ephesios redire voluerit: hunc locum non posse pertinere ad quidquam, quod Apostolo Ephesi acciderit, supra (p. 35) jam ostendimus. Insuper Bertholdtius arbitrario Lucam (Act. XX, 3. 4) erroris insimulat, quod Timotheus Apostolum non Troade expectaverit, sed directa via ad Ephesios profectus sit. — Eidem denique omnino ex memoria excidit, quod Tim. ἐν Ἐφέσῳ προσμεῖναι ad

monitus fuisse dicitur. Quae quidem verba tum Paulum παρακαλοῦντα, tum Timotheum παρακεκλημένον Ephesi, neque Corinthi fuisse narrant. Nam P. Timotheum Corinthi versantem non hortatus esset, ut Ephesi maneret, sed ut Ephesum proficisceretur.

Deinceps si temporis ordinem sequamur, jam in aliam quandam sententiam incidimus, quae ad neutram, quam supra (p. 19 fin.) proposuimus, l. 1 Tim. I, 3 explicationem accurate quadrat. Paulus quidem V. Cel. hoc sibi sumsit probandum, ab Apostolo Caesareae captivo ep. esse scriptam. Timotheum, quum Apostoli visendi causa Caesaream venisset, Ephesum fuisse missum, ubi quibusdam perperam docentibus resisteret. Tum Ephesi versanti epistolam nostram esse allatam eique mandatum, ut in Macedoniam profectus pariter coërceret eos, qui corruptam divulgarent doctrinam. Epistolam omnino Ephesiis corrigendis non destinatam fuisse, inter quos commorans accepisset solummodo Tim. epistolam,*) sed ubicunque in itinere falsam doctrinam et pravam disciplinam deprehenderet, ibi Timotheo hasce litteras monstrandas fuisse. Quem quidem universum et late patentem epistolae fuisse usum, ex eo maxime Paulus sibi comprobavit, quod nullae legantur salutationes. — Sed epistolam Caesareae non esse scriptam, Bertholdtius, quo in describenda Pauli V. D. sententia usi sumus teste (cf. supra p. 18 not.), omnino nobis persuasit. Nos ipsi quoque rationem, qua Paulus V. D. locum, ep. I, 3 explicaverit omnino certis sanisque grammaticae legibus non consentaneam esse, jam ostendimus. Praeterea Bertholdtii refutationi id addere liceat, fieri omnino non potuisse, ut Ap.

1 Tim.

---

*) „*Der Brief hatte gar keine Lokalbestimmung nach Ephesus, wo ihn Timotheus bloſs erhielt.*" (Berth. p. 3609.)

1 Tim. III, 14; IV, 13 celerius redire promiserit. Nam propter ipsius Apostoli verba in oratione Milesia (Act. XX, 25. 38) brevi aliquo temporis spatio redeundi consilium habere non potuit. Quam quidem difficultatem si Paulus V. Cel., quae ejus est magna sagacitas, ipse fortasse plane intellexerit et propterea promissum illud redeundi non ad consilium revisendi Ephesum, sed Macedoniam, in qua ipsa Tim. non revertens illuc, Apostolum advenientem exspectaret, retulerit — verene retulerit, nescimus —: quis tandem sibi probaverit, Apostolum Romam tendentem, Macedones, quos optime institutos nuper demum reliquerat (2 Cor. VIII), non primum (Act. XVI), non secundum (Act. XX, 1), non tertium (Act. XX, 3, 6), sed nunc quartum adire voluisse? Praeterea si quis aeque et ingenue judicaverit, non infitias ierit, illa Actorum (XX, 25) verba non tantum ad Ephesios solos spectare, sed ad omnes illas regiones inter septentrionem et orientem sitas, itaque minime permittere, ut Ap. ad Macedones, qui septentrioni proximi essent, reverti *in animo* habuisse putetur. Unde sicut eum neque Ephesios, neque Macedones denuo adire voluisse patet: ita, utrumcunque itineris consilium praeferamus, ex Apostoli captivitate impediti conditione efficitur, eum sua sponte in neutram regionem redire potuisse. Itaque grammatica illa injuria verba πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν ad Timotheum referendi gravissime punit interpretem, a quo, in quemcunque locum Timotheum praemiserit, eodem postea Ap. quoque ducendus est. Nam verba πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν ad Apostolum referentes, sane non mediocrem operam impendimus, ut Timotheum in Macedoniam (2 Cor. I, 1) arcesseremus; sed apta aliqua conjectura id assecuti esse nobis videmur. Sed quomodo Paulus Apostolum ad Macedones reduxerit, aut, quum ne opus quidem sit, hoc iter revera esse confectum, quomodo aliquod talis itineris consilium sibi effinxerit, nos plane fugit.

Sic quidem quamvis, quod Paulus definierit, rejiciendum esse nobis visum sit: tamen nos hoc tempus nondum plane missum faciamus, sed potius, ut omnia reliqua tempora, ita etiam hoc accuratissime exploremus. Nullone modo cogitare licet, epistolam post conventum Milesium inter hunc ipsum et Romanam captivitatem esse scriptam? quam quidem quaestionem dijudicare eo minus nos pigebit, quia Schleiermacherus (pag. 125), ep. ante conventum illum Milesium ullo modo scribi potuisse negans, Paulum, V. D. — quem quidem ipsum, etiam nomine non edito, significasse videtur Schl. — qui eam post illud tempus scriptam esse comprobare tentavit, gratiore sane animo, quam plerique eum exceperint, esse excipiendum censet. Quaeritur igitur, an forte, quum Paulum maxime ideo rejecerimus, quod Ap. Caesareae vinctum Timotheo non Ephesi, sed in Macedonia mandatum exsecuturo scribentem sibi finxerit, — an epistola ab Ap. Hierosolyma proficiscente aut ibi libere adhuc sine vinculis versante scripta esse possit. Quod si quopiam modo comprobari possit, id alteram illam loci 1 Tim. I, 3 explicationem sequentes efficiemus. Supra jam annotavimus, e verbis 1 Tim. I, 3 haud necessario effici, ab Ap. epistolam in Macedonia, quo πορευόμενον se inducit, scriptam esse, sed etiam fieri potuisse, ut Ap., Macedonia relicta, epistolam alibi, ubicunque fuisset, composuerit. Neque enim prorsus incredibile est, Ap. quamvis jam in Macedonia cum Timotheo convenisset, tamen postea in ep. aliqua abitum suum ad Macedones in memoriam revocare et ad praeteritas has res epistolam suam annectere voluisse, quoniam simili quadam atque antea ratione Timotheus Ephesi esset relictus. Quod statui eo minus difficile est, quod, etiamsi in Mac. ipsa epistolam exararet, πρόταςιν non ideo posuisset, ut Timotheo novi quid referret — nam totum versus 3 argumentum Ap. jubens non melius scivit, quam Tim. jus-

sus — sed hoc ipso, quod constituimus, consilio, ut aut Tim. excitaret, aut solummodo, ut in scribendo sibi et Tim. praeterita quaedam in memoriam reduceret. Verbis igitur hic sensus subjici potest: Ut te jam semel, quum in Mac. proficiscens te Ephesi relinquerem, hortatus sum, ut ἑτεροδιδασκαλοῦσι resisteres; ita te hortor, ut nunc, quum etiam praesenti tempore Ephesi verseris, idem facias. Qua in explicatione, ne πρότασις minus inanis et vacua esse videatur, facillime conjicitur, eam propterea praemissam esse, quod Ap. Timotheum, qui jam antea ibi versatus et negotii mandati peritus esset, instigare vellet, ut fiduciam ipsius nunc iterum probaret.

Adhibens igitur hanc verba ep. I, 3 explicandi rationem sic fere aliquis statuere possit: a Paulo Miletum adveniente Tim. ad πρεσβυτέρους arcessendos Ephesum esse missum; Tim., quacunque fuisset de causa, Ephesi remansisse solosque presbyteros Miletum petiisse; P. deinde, quum hos pravis quibusdam opinionibus, ut ante iter Macedonicum, ita nunc ipsum magis etiam deditos aut proclives deprehendisse (Act. XX, 30), Mileto celeriter relicta, inter iter ep. nostram conscripsisse. Ac profecto me libellum meum incipientem hanc ipsam sententiam defendere voluisse, ut non infitias eo, ita eam ab illis, qui Timotheum non Hierosolyma cum Paulo esse profectum statuunt (Bertholdt. p. 3495), saltem quae examinetur dignam esse hodieque puto. Quae enim verborum I, 3 postulatur explicatio, non ea esse mihi videtur, ut, quamvis posita ea omnes aut multae, quibus ep. laborat maximis, difficultates tolli possint, tamen prorsus sit rejicienda. Nam si quis objiciat, Ap. vix tam indefinite scribere potuisse, ut suppleri deberet, Tim. iterum Ephesi fuisse relictum, jam respondemus omnino nesciri non posse, an Ap., nisi propter orationis vim et impetum ἀνακολούθως scripsisset, sensum accuratius definivisset, ne-

que fortasse scripsisset hunc in modum: καθὼς ...: οὕτως καὶ νῦν παρακαλῶ σε προσμεῖναι, εἰς Ἱερουσαλὴμ πορευόμενος. Quod licet non adderetur, Timotheum tamen, se versu tertio modo de praeteritis quibusdam obiter moneri, omnino non fugere potuit. Nos contra, quia omittebantur, maxime impediri possemus, quominus, quae fuisset ep. conscribendae ratio, intelligeremus.

Multas autem res ad epistolam, ea, qua descripsimus, ratione compositam optime quadrare, quis est, quin videat? Primum quidem maxime est consentaneum, Timotheo per litteras mandata esse tradita, quippe quocum post colloquium cum presbyteris depravatis Paulo non fuisset praesens sermo. Etenim quum, quod infra demonstrabimus, soli Timotheo destinata esset epistola: Paulus, etiamsi id praetermittamus, quod mandatum tam copiosum alius ori committere nemo soleat (mandatum autem? imo vero pias cohortationes) tum ipsorum presbyterorum, tum Timothei gratia noluit, ut illi hunc ipsius nomine cohortarentur. Presbyteros enim injuria affecisset, si iismet ipsis praecepta afferenda tradidisset (v. 19: τοὺς ἁμαρτάνοντας — πρεσβυτέρους — ἐνώπιον πάντων ἔλεγχε, ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι), secundum quae aliquot nuntii ipsi ab alio quodam in jus vocari possent, eoque magis eos offendisset, quia eorum pars culpae cujusdam bene sibi conscia esset. Nam quum Paulus praeceptum ad nullius pravitatem aut continuo aut mox adhibendum edidisse solamque futurorum temporum rationem habiturus fuisse credi vix possit — quod plane quum ab aevi Apostolici ratione, tum imprimis a Pauli indole abhorreret —: ut ex Actis (XX, 30 seq.) nonnullos presbyterorum a bona mente fuisse degeneratos conjecimus, ita hoc praecepto idem confirmari licet. Timotheum autem, si eorum ipsorum ore, quibus ne dicam praefectus, tamen suasor et monitor esse jussus erat, cohortatus fuisset Apostolus, (I, 18; IV, 12 sq.; V, 21; VI, 10) quasi ipsius monitoris

fidelitate non utique confisus fuisset: id sane ejus auctoritatem, quam P. maxime tueri voluit (IV, 12), paullulum convellisset. Quocirca ne quis dicat, Apostolo ea conditione quam finximus scribenti non fuisse scribendi causam. Existimare autem quis possit, Apostolum presbyteris abeuntibus epistolam nostram tradidisse. Sed huic sententiae eo detrahitur fides, quod Apostolo haud diu Mileti versanti tempus vix suppeteret ad eam componendam. Contra si epistolam inter iter Hierosolymitanum scriptam esse ponamus, omissae quoque salutationes nihil habebunt miri, quippe redeuntibus jam presbyteris redditae. Praeterea quod Timotheus cum presbyteris Epheso Miletum non rediisset, hoc inde explicari posset, quod Timotheus itinere maritimo affectus, morbo aut aegra valetudine detentus fuisset, propter quam quidem ipsam Paulus, ut de valetudine prospiceret, eum monuit (c. V, 23). Sed quid tandem juvat, anno LIX ep. esse scriptam reprobasse annique LX post conventum Milesium tempus confirmasse, siquidem easdem res gestas, quae l. I, 3 describuntur, utramlibet sententiam posueris, plane eodem modo evenisse statuendum erit? Respondeam: posteriorem sententiam praesertim propterea antehaberi posse, quod Timotheum 2 Cor. I, 1 apud Apostolum inveniri facilius explicatum sit: Licet enim ponere, Timotheum ab Apostolo anno LIX Macedoniam petente ita Ephesi esse relictum, ut Paulus ipse Timotheum post aliquot menses in Macedonia cum ipso congredi praesens jusserit. Quod statuere, si epistola in Macedonia scripta esset, non licet propter locos III, 14; IV, 13, ubi Tim. adeo ab Apostolo absente manere Ephesi jubetur. Jussum autem hoc, nisi a Paulo contrarium aliquod ac paulo ante decrevisset, idque brevi esse mandatum Timotheo, conjectura supra memorata (cf. p. 77 sq.) tibi probaveris, cum 2 Cor. I, 1 conjungi non potest. Quare per se aliquanto probabilior ea sane sententia nominanda esse mihi videtur, quae Paulum in propo-

sito permansisse demonstrat, quam quae ut proposita permutaverit postulat. Contra etiamsi quis eodem modo offenderetur, quod Apostolus in epistola anno LX in itinere scripta, se Ephesum esse rediturum, pollicitus esset, tamen ille dicere nequiret, per se non potuisse fieri, ut Paulus Hierosolymis Romam petiturus Ephesum denuo adire vellet. Quid enim impedivisset, praesertim si forte Timotheum secum ducere vellet, quominus, brevi (τάχιον III, 14) confecto Hierosolymitano itinere, ipsa in urbe Epheso navem conscenderet, ut in Italiam deferretur? Sed tale quoddam consilium ei esse non potuisse, nisi per breve illud tempus, quod itinere Hierosolymitano transegit et per paucas hebdomadas, quas Hierosolymis libere consumsit, quum per se pateat; inferius anni LX tempus ad epistolam computandam adhibere non licet. Cum Milesia vero oratione, qua Apostolus se unquam ad Ephesios esse rediturum negat, proficiscendi consilium, quod in epistola legitur, ita fortasse conjungere possimus, ut iis Apostoli verbis aliquantum ponderis tribuamus, quibus solummodo, se non omnes denuo visurum esse dicit. Nam quum Apostolus fortasse per brevissimum modo tempus Ephesi morari vellet, non fuit verisimile, eum etiam ad rusticas ecclesias, quas verbis ἐν οἷς διῆλθον significatas esse nobis probavimus (cf. sup. p. 32), reversurum esse. Nam equidem mihi vix persuadeam, verba οὐκέτι πάντες hic, ut alibi (Rom. III, 20; Matth. VII, 21) οὐ πᾶς ad Hebraici sermonis usum (לא כל cf. Gesenius Lehrgeb. p. 831 Anm. 1; Winers Gramm. d. N. T. p. 53) esse referenda, ita ut nulli eum revisuri esse dicantur. Itaque fortasse statui potest, alios fuisse Mileti, qui ipsum revisuri, alios, qui eum non revisuri essent.*) Quodsi cuipiam subtilius et putidius extri-

*) Similem sed non plane eandem conjecturam adhibet Michaelis V. D. (*Einl. ins N. T. p.* 1242) Actorum locum ita explicans, quasi P. dixisset, se non omnes, qui Mi-

catum esse videatur: hoc certe plus valet, verba illa ab Apostolo animo commoto elata non ad unguem esse resecanda. Paulus nunc simul dolore affectus, quod a carissimis presbyteris discederet, et desiderio, ut ad eos rediret, pericula, quae ipsi imminerent, majoris aestimasse putari possit, quam postea inter viam ad Hierosolymitanos. Ubi quum propter feliciores quiqui fuerint eventus aut coram nuntios laetiore spe duceretur: tum sane epistolam scribens in animo habuerit Ephesios revisendos. Praeterea epistolae minime inesset, Apostoli animum omni timore exsolutum fuisse; potius ex ipsis epistolae verbis (*ἐὰν βραδύνω*), eum timuisse videmus, ne a consilio exsequendo detruderetur. Quamquam si Ap. animo interdum adhuc dubio et incerto, quid ipsi Hierosolymis accideret, iter illud fecisse crederetur, ita, ut Ap. adeo Ephesum revisere sibi proposuisset: certe statuendum esset, epistolam scriptam esse, antequam Ap. Caesareae cum Agabo conveniret (Act. XXI, 10). Denique haud necessario postulatur, ut Timotheus, si tum Ephesi remansisset, in illa oratione sit nominatus. In ipsa, quam attulimus, temporum conditione sane maxima erat causa, cur ejus nomen in mutuis colloquiis auditum fuisset: sed in Actis, ubi Ap. perorans inducitur, non aptus locus. Nam ineptiorem fere judicaverim ejus commemorationem in hujus lenis minimeque asperae orationis tenore, quae rationem modo inter Apostolum et ecclesiam intercedentem attingit. Neque haud scio, an sine offensione nomen Timothei intervenisset, cujus talis quaedam mentio, qualem Schleiermacherus p. 124

---

leti congregati erant, hoc ipso loco revisurum esse: „*Ich weiſs, daſs ich euch nicht Alle so beisammen wiedersehen werde.*" Sed licet causam meam libentissime tanti patrono consensu defenderem: tamen eum probare mihi non potui, quoniam Actorum verba non legenda essent: *οὐκέτι ὄψεσθε τὸ πρόσωπόν μου ὑμεῖς πάντες*, sed *οὐκέτι ὄψομαι τὸ πρόσωπον ὑμῶν πάντων.*

postulat, nullum alium fere sensum habuisset nisi: Ecce, hunc vobis reliqui ergastularium. Hujusmodi autem ex occulto perstrictio totam orationis indolem pervertisset. Caeterum silentium hoc eo minus nostram conjecturam premit, quia etiam, ea repulsa, e similibus, quas protulimus, causis explicetur necesse erit, cur Timotheus — qui etiamsi, eum Ephesum Mileto missum esse et inter Ephesios tum remansisse non statueretur tamen una cum Apostolo Miletum saltem advenerat (videas infra) —, in oratione ad Ephesios, inter quos ille jam antea gravissimas partes egerat, nusquam appellatus sit.

Sed postquam quibus haec temporis definitio confirmari posset, causas solummodo propterea attulimus, ut eam non omnibus probandi argumentis esse destitutam perspiceretur: tamen quae nostris ipsis manibus construximus, eadem rursus evertamus necesse est. Neque verba 1 Tim. I, 3, explicandi rationem satis facilem esse, neque Apostolum tum temporis Ephesum redire voluisse probabile, neque id, quod plurimum nobis valere videtur, ut Timotheus tunc Ephesi remansisset, fieri potuisse ingenue profiteri debemus. Quod enim interpretum plurimi negant, id mihi quidem fere luce clarius esse videtur, Timotheum cum Apostolo Hierosolyma esse profectum. Primum haud verisimile judico, Apostolum Timotheum, laboris socium non fecisse participem triumphi, quem quasi conversarum animarum praeda onustus et divino verbi fructu exsultans ad Hierosolyma omnium ecclesiarum matrem instituit. Nam Apostolum sperasse fore, ut ipse Hierosolymis praesens, invidiosa et inani Judaicorum adversariorum criminatione repulsa, bonorum gratiam et laudem sibi compararet, per se patet. Paulus quum etiam prioribus itineribus Hierosolymitanis de malevolis triumphasset — tum temporis ab Hierosolymitanis, quibus ἀνέθετο τὸ εὐαγγέλιον, ὃ ἐκήρυξε ἐν τοῖς ἔθνεσι (Gal. II, 2), bene et honorifice exceptus erat (Act. XIV, 27;

XV, 4) —: eadem spe ductus etiam nunc ipse Hierosolymitanis attulit beneficia; quippe quae afferenda, si hoc non exspectasset, aliis demandare potuisset. Igitur si Apostoli ipsius maxime interesset, ut cum ecclesiarum matre conjunctio et necessitudo servaretur: nonne per se probabile, Timotheum, totius fere tertii quod Ap. instituit itineris comitem, Paulo ipso suadente, una cum ipso Hierosolymitanis se ostendisse? Item ex loco Act. XX, 4 accuratissime comprobari posse mihi videtur, Timotheum non Mileti vel Ephesi mansisse, sed Hierosolyma esse profectum. Quod quidem quum, ne disputationis filum nimis interrumpatur, in Excursu fini adjecto enucleatius exponere tentavimus: jam id quod solummodo periculi instar proposuimus, epistolam a Paulo Hierosolyma tendente esse scriptam, omni modo explodimus missumque facimus.

Quodsi jam in tempora, quae captivitatem Caesariensem sequuntur, descenderimus, nullum amplius aptum, quo ep. sit scripta, tempus deprehendetur, nisi e priori captivitate Romana Apostolum liberatum esse statuatur. Utrum haec sint comprobanda nec ne, et num Paulum in illa captivitate, de qua Acta referunt, non jam supplicio esse affectum, sed anno demum LXVII una cum Petro martyrium subiisse Patrum, Clementis Romani, Eusebii aliorumque testimoniis verisimile fiat: ea hic non placet disquirere, tum quod copiosius opus foret exponere, tum quod haec argumentatio magis cadit in posterioris ad Tim. epistolae interpretem, quam in nos. Ne plura; multi imprimisque veteres Anglici interpretes Usserius, Palejus aliique et recentiori tempore Wegscheiderus et Heydenreichius *) secundam capti-

*) *Die Pastoralbriefe Pauli. Hadamar.* 1826.

vitatem ponunt, Paulumque, quum liber etiam Ephesum, comite Timotheo, visitasset, solusque inde profectus esset, hanc ad Tim. epistolam scripsisse putant.

De qua quidem sententia antequam fusius disputamus, si universam rationum verisimilitudinem inspexerimus, quibus V V. DD., et ea quae ab aliis ipsis objiciebantur, refellerint, et ea, quae ipsi statuerunt, potuerint confirmare: sane e vestigio iis damus, ipsorum sententiam, dummodo captivitas posterior iis concessa fuerit, reliquis omnibus ideo praestare, quod maximam partem difficultatum, quibuscum nobis tam diu pugnandum fuit, sustulisse videatur. Sed aliud esse existimaverim, viam salebrosam complanasse, aliud impedimenta propter noctis caliginem non conspicere. In tantis videlicet temporum, quum Acta App. obmutuerint, versamur tenebris, ut promta facilitate, qua res aliqua ad illa tempora quadraverit, vehementissime falli possimus. Nam pauca illa, quae ex ista aetate innotuerunt, utrum casu an vere conveniant cum epistolae nostrae rationibus, quis est, qui decreverit? Equidem igitur quum legem illam, quae alias semper unice fere valet ad sententiam aliquam reliquis praeferendam, quod facillima quaeque etiam verisimillima sint, in nostram rem minus cadere judicaverim: eum melius de epistola defendendo promeriturum puto, qui, quamvis aliquot scrupuli resideant, epistolam notis certisque anni LIX temporibus esse inserendam demonstrare possit, quam, qui ad fallax et incertum aliquod tempus se recipiens, expeditissima utatur via.

Nihilominus huic etiam sententiae, nonnulla possunt opponi, quibus eluceat, quod ea ipsa non semper idoneis, quibus defendatur, rationibus usa sit, neque magis omnes difficultates apte sustulerit. Quare jam interpretum causam percensentes sineque partium studio inquirentes, cur nobis eam probare non potuerimus, proponamus.

I.

Interpretes quidem in epp., quas P. in priori captivitate scripsit, vestigia quaedam consilii talis, de itinere capti, quale Apostolum epistolam scribentem partim jam exsecutum fuisse (1 Tim. I, 3) partim postea exsequi voluisse (1 Tim. III, 14) necesse est, a se esse reperta arbitrantur. Itineris enim Macedonici propositum l. Phil. II, 24 esse indicatum; tum si Ap., qui in ep. ad Philemonem Colossensem v. 22 huic ipsi mandasset, ut sibi hospitium pararet, Colossas reapse adierit, alia via proficisci vix potuisse, nisi si Ephesum appelleret. Quare VV. DD., P. ipsum ab Ephesiis absentem, Timotheo Ephesi relicto, epistolam nostram conscripsisse sibi probant. Solummodo ne ita quidem, quae epistolae subscripta sunt, (etiamsi a manifesto subscriptoris errore, qui rem posteriori *) tempore gestam priori tribuit, discesseris) eam Laodiceae esse compositam, id quod Wegscheiderus p. 35 (cf. Heydenreichius l. c. p. 36) probare studet, defendi possent, propterea quod tum quidem P. verisimilius saltem πορευόμενον εἰς Φρυγίαν, quam εἰς Μακεδονίαν se dixisset. Nam quum Apostolo Macedoniam directa via petenti Phrygia prorsus non tangenda esset: Paulus, qui postea Ephesum redire vellet, iter ad Phrygas nomine profectionis Macedonicae vix potuisset comprehendere. Itineris enim nomen potius ab illa terra, in qua praesenti tempore (Laodiceae) versatus fuisset, a Phrygia puta, dicendum fuisse videtur, neque vero a Macedonia postea adeunda. Quodsi quis contra obtenderet itineri nomen a terra, quam petebat, esse impositum: etiam hoc minus probaretur, quoniam Ap. in Phrygia, quae fuisset maxime in causa, cur Orientem rediisset, etiam longius aliquod tempus commoratus esse putan-

*) Divisio Phrygiae in salutarem et pacatianam inde a Constantini M. demum temporibus innotuit.

dus esset, quam ut itinere per hanc terram occupatus se solummodo eam transeuntem induxisset, itaque in epistola nostra eam nominare prorsus non operae pretium habuisset, quasi ecclesiae Macedonicae neque vero Phrygiae itineris causa fuissent. Quare quum Ap. Philippenses quoque adire in animo haberet, ut ipsi εἰς Μακεδ. πορευόμενον se describere liceret, ita aptius statueretur, ab Apostolum e Phrygia reversum iterum ad Ephesios venisse profectumque ad Macedones Timotheo — sive iterum, sive, quoniam Apostolum ad Colossenses non esset comitatus, nunc primo Ephesi relicto — epistolam nostram scripsisse. Quod si pro certo sumamus, etiam illud, quod Ap. promisit, se mox rediturum esse, non a re alienum esset. Statui enim posset, Apostolum Ephesum rediisse et inde in occidentales Europae terras abiturum navem conscendisse. Nam in Hispania quoque, teste eadem fama *), quae Apostolum e priori captivitate evasisse prodidit, evangelium a Paulo propagatum esse, inter omnes fere constat.

Hanc quidem, quam modo proposui, rationem, si non possem, quin ullo modo ad hoc tempus confugerem, inter varios singula accuratius definiendi modos facillime mihi comprobare possem. Sed, id quod contra moneo, locus Phil. II, 24 ad hanc sententiam confirmandam nullo pacto potest adhiberi, quasi idem iter Macedonicum ibi sit commemoratum, quod 1 Tim. I, 3 innuitur, Paulusque, confecto ad Colossenses itinere, in Macedoniam profectus sit. Nam si P. Phil. II, 19 Timotheum ad Philippenses missum iri et se ipsum quoque ταχέως venturum esse, Philemoni autem Colossensi, tempore quo venturus esset non constituto, sim-

*) Clemens Romanus Ep. I ad Corinth. cap. V: ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως Paulum profectum esse refert; quo nomine scriptorem Romanum ipsum in occidente versantem nullam terram nisi Hispaniam significare potuisse, censent VV. DD. (Cf. de Wette 221.)

pliciter se venturum esse promittit: profecto non solum verisimile est, sed etiam (nisi forte quis Paulum itineris rationem mutasse dixerit), indubitatum atque in confesso, Paulum primum ad Macedones, tum demum transeuntem fortasse per Ephesum (quod quidem revere eum fecisse non constat) ad Colossenses tetendisse. Equidem autem haud exiguam difficultatem ad hanc sententiam defendendam accessisse, aut saltem gravem quandam, unde probetur, causam refutatam esse putaverim, si ne pauca quidem, quae de hoc tempore scimus, ad id, quod interpretes illi volunt, quadrarent et Paulum itineris consilium mutasse (quod profecto non tam saepe tamqne facile evenit, quam nonnulli putant) statuendum esset. Ponamus igitur secundum 1 Tim. I, 3, epistolam in Macedonia esse scriptam. Statuatur tum necesse est, Apostolum, quum, Timotheo comite, e Macedonia, quam terram Roma veniens priorem adiisset, Ephesum profectus esset, aut una cum Timotheo, aut sine eo iter facientem Colossas se contulisse, et inde iterum Ephesum revertisse — hoc enim necessarium est propter locum 1 Tim. I, 3, ubi iter Macedonicum Epheso susceptum dicitur; cf. supra — Ephesi Timotheum reliquisse, tum rursus in Macedoniam profectum epistolam scripsisse, denique tertio Ephesum se venturum promisisse. Si quis vero dicere malit, Apostolum statim Roma Ephesum profectum esse, ibique eum in Timotheum, qui solus e Macedonia Ephesum tetendisset, incidisse, et quum inde ipse solus in Macedoniam — quam terram prius quam Colossas eum aditurum fuisse, modo ex epistolarum ad Philipp. et Philem. ratione effecimus — discessisset, ad relictum Timotheum epistolam scripsisse: conjici potest, Apostolum eam ob causam Ephesios iterum visere voluisse, quod ab eorum urbe ad Colossenses profecturus esset. Sed utrumvis ponatur, id quod statuitur, minus probabile mihi statui videtur. Nam si id, quod posteriori loco posuimus, acciperetur: quare Aposto-

lum, priusquam in Macedoniam iret, Ephesum appulisse putaremus, quum, se in posterum ad Colossenses proficiscentem eo venturum esse, non ignoraret? Transeunti enim per Ephesum brevissima ad Colossenses est via. Si quod priori loco constitutum est probaretur: Apostolus vel post captivitatem Macedoniam bis, Ephesum ter frequentasset. Quis vero est, qui existimet, Apostolum liberae conditionis tempus ita huc illuc proficiscendo contrivisse inter ecclesias, in quibus jam prius Christianam doctrinam firmiter fundaverat? Ne tum quidem, quum Apostolum primo in illis regionibns evangelium disseminaret, eum tam crebris itineribus eadem loca obiisse, alibi legimus. Quoniam Paulus secundum ep. ad Philem. Colossenses, apud quos nondum fuerat, visere voluit, ne abnuamus, Apostolum, hac maxime de causa regiones orientales repetentem, etiam Macedonicas ecclesias adire voluisse, et tum Ephesum quoque, in quam ad Colossenses tendens facile incidit, denuo venturum fuisse. Sed tam saepe eum illas ecclesias frequentasse, iisque brevis, quod in libertate egit, temporis (tres modo annos LXV, LXVI, LXVII ea fruitus esse fertur) magnam partem, quam sine dubio iter descriptum postulasset, insumsisse, parum quadrat et ad veri speciem et ad consuetudinem Apostoli, qui semper studio ardebat eos, qui in tenebris versarentur, evangelica luce collustrandi. Multo magis etiam Pauli moribus convenit fama ecclesiastica, eum ex Asia minori in occidentales regiones rursum rediisse et ibi quoque ante posteriorem suam captivitatem evangelio magna incrementa addidisse. Quum vero iidem testes, quibus Apostoli liberatio nititur, Apostolum temporis aliquantum, quid? propter magnos evangelii profectus, quos consecutus esse dicitur, vel magnum tempus in occidentali Europa comsumsisse tradiderint: qui Patribus Paulum esse liberatum crederet quidem, sed evangelio in occidente propagando eum non vacasse concedere deberet, minus apte computasse nobis

nobis videtur. Nam profecto, nisi itinera illa orientalia in Asia et Macedonia celerius, quam probabili modo fieri possent, confecta esse putarentur, itinera occidentalia conficiendi tempus omnino deesset.

II.

Porro si Timotheus juvenis describitur (IV, 12: *Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω*), et hanc sibi esse causam Schleiermacherus, Eichhornius et de Wettius profitentur, ob quam posteriori tempore epistolam esse scriptam negent: his gravissimis testibus utique assentior. Quod qui defendunt, ii primo loco versum illum, qui ipsis quam maxime refragatur, eo expedire student, quod Timotheum tum quam minimum fuisse aetate sibi probant. Sic Wegscheiderus pag. 33 Timotheum anno LIII (Hugius p. 288 annum LIV conficit) adolescentulum sedecim annorum a Paulo delectum anno LXV duodetriginta demum annos natum fuisse. Sed quis crediderit, adolescentem tam tenellum ab ecclesiis Lycaonicis Apostolo esse commendatum (Act. XVI, 2)? Quis, talem a Paulo gravissimi muneris socium esse acceptum? Quis explicaverit, quomodo Timotheus in epistolis ad Thessalonicenses, quas Apostolum eodem anno, quo Timotheum sibi adjunxit, scripsisse constat (cf. Hug. p. 306), jam tantae virtutis et firmitatis fuerit, ut Paulus Thessalonicenses salutans non solum Timothei nomen sibi et Silvano addiderit, sed etiam ad Thessalonicenses, quorum res componeret, eum miserit, eumque hac ipsa occasione *διάκονον τοῦ θεοῦ καὶ συνεργὸν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ* nominaverit. Ex altera parte Wegscheidero aliisque concedendum est, juvenis denominationem apud veteres latius patuisse. Nam apud Graecos Romanosque vel viros XL annos natos hoc nomen accepisse, inter omnes constat. Sed an *τοῖς ἔξω* tantum talis verbi usus tri-

tissimus fuerit, adeo ut unumquemque virum, qui quadragesimum annum nondum complevisset, quacunque fuisset occasione, juvenem nominare consueverint, etiam hoc fortasse dubitare licet. Potius tum solummodo hac per se mira verbi significatione usi esse videntur, si de justa virorum aetate ad munera publica esset sermo, quoniam ea petendi jus demum, ut civilem auctoritatem, ita virilem maturitatem indicaret et impleret. Similem quandam rationem interpretes etiam ad nostrum locum explicandum afferunt. Timotheum, inquiunt, non per se juvenem nuncupari, sed minorem ipsius aetatem cum presbyterorum senectute conferri, quippe qui in vetere ecclesia revera seniores fuissent. Sed ne hoc quidem persuadere sibi poterit, qui ante oculos habuerit, Timotheum, cui praecipitur: τύπος γίνου τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ non cum presbyteris, sed cum πίστοις universis comparari. Insuper hac in re maxime est cavendum, ne Graecorum et Romanorum mores nostris scriptoribus sanctis inculcemus. Paulus ἑλλενίζων, si hujusmodi res exprimere vellet, non ad Graecorum loquendi usum confugiebat, sed patriam suam explicandi rationem, quam a pueris imbibitam nunquam prorsus seponere posset, semper servabat. Hebraeos autem eodem modo locutos esse nusquam, quantum scio, neque e V. T.*) neque e N. T. ab inter-

*) Duo quidem loci mihi huic rei operam danti occurrerunt, in quibus similis quidam vocis נער (cf. Gesen. Lexic.) usus esse videri posset. Alterum legimus 1 Reg. III, 7, ubi Salomo, quamvis jam rex, tamen נער nominatur. Sed ibi Salomo minus annorum ratione, quam animo modesto et humili ductus propter imbecillitatem regnique administrandi imperitiam se juvenem nuncupat. Alter locus Jerem. I, 6, ubi Jeremias a Deo ad munus propheticum vocatus propter juventutem suscipere id recusat, eodem fere numero est habendus. Caeterum quis comprobare posset, hos ipsos non fuisse revera juniores?

interpretibus satis demonstratum est. Fuerunt quidem (Heydenreich. p. 43), qui ex ipso N. T. afferrent locum 2 Tim. II, 22; quum in hac, quae certissime haud multum temporis ante Apostoli liberationem esset scripta, et fortasse in altera demum captivitate, Timotheus monitus esset, ut ἐπιθυμίας νεωτερικὰς fugeret, prorsus non esse mirum, quod Tim. etiam in nostra ep., ab Apostolo e priori captivitate redeunte scripta, juvenis nomen accepisset. Sed, ni fallor, uterque locus minus apte aequiparatur. Nam ob juveniles et violentiores ἐπιθυμίας etiam, qui aetate provectior ad eas pronior est, vituperari potest, neque propterea ipse qui vituperatur, ut loco 1 Tim. IV, 12, in juventute esse dicitur. Denique, ut redeamus ad hunc locum, c o h o r t a n t e s alterum, minime voce utimur, qua alter, qui perstringendus est, excusari possit, sed potius ea, qua pudore afficiatur. Apostolus igitur, etiamsi Timotheum quantumvis aetate provectiorem secundum quendam exquisitiorem eundemque ipsi tritum loquendi usum juvenem nuncupare potuisset: tamen hoc loco potius ei inculcasset, eum jam fere ex j u v e n i b u s e x c e s s i s s e, ut ita ejus studium incitaret, quam i n j u v e n t u t e e j u s excusationem quandam inesse tacito concessisset. Ita si P. nudis verbis νεότητα ejus ponit, ex ipsius admonitionis conditione et indole paululum confirmari posse existimaverim, sensum, qui maxime est proprius, versui nostro esse vindicandum. Quid multa? Satis tenuia fereque arbitraria argumenta proponere mihi videntur, qui aliquo modo locum illum detorserunt, ut ne impedirentur, quominus epistolam Apostolo vinculis absoluto tribuerent. Nobis contra lex, quam jam saepius adhibuimus, promtissimam explicationem, quae proprium verborum sensum tueretur, esse commendatissimam, utique suasit, ut Timotheum epistolam accipientem quam minimum annis nobis fingeremus, itaque epistolam, inferiori tempore reprobato, ad annum, quantum fieri posset,

a captivitatis Romanae tempore remotissimum conjiceremus.

At sicut hanc difficultatem, quam rursus adaugendam esse ostendimus, justo facilius removisse opinati sunt hujus sententiae defensores, ita recte alia quaedam, quae ipsis opponebatur, ratio, ut a statuto tempore discederent, eos non commovit. Obloquuntur enim nonnulli huic temporis constituendi rationi, quod Johannes Ap. tum Ephesi fuisse dicatur. Paulum igitur, affirmant, quum ille, quaecunque ad ecclesiam pertinerent, curare potuisset, non habuisse, quod Timotheum relinqueret, nedum epistolam ad eum scriberet de rebus ecclesiasticis dirigendis et corrigendis. Quae quidem causa, si, Johannem inter Ephesios tum temporis commoratum esse, certis rationibus confirmari posset, gravissima esse mihi videretur. Sed quis hoc alicunde probaverit, et quis, etiamsi tempus quo Johannes Ephesum venerit, ex iis, quae nobis a Patribus tradita sunt (cf. de Wette p. 191), aliqua ratione definiatur, interpretes cogere possit, ut his fidem habeant? Eodem modo etiam locus Act. XX, 25 parum valet ad hanc sententiam refellendam. Nam Paulum, quamvis anno LX Mileto discedens timeret, ut Ephesum unquam rediret, tamen praeter spem id assequi potuisse, ut Colossenses petens etiam Ephesios reviseret, jam saepius monuimus.

III.

Equidem rectius opponere posse mihi videor, nusquam in epistola commemoratum esse, Apostolum vincula jam fuisse perpessum. Qua de re, quam multis modis secus ac volo interpretari licet, paulo fusius me disputare necesse est. — Sane valet regula, inde quod res silentio praeterita sit, justuo minus probari; sed equidem non dubito, quin alia quaedam regula huic

ipsi contraria eodem jure constitui possit: esse quasdam res, quas commemorasse scriptoris tanti intersit, ut, si sententiarum flumine strictim tangantur, fieri fere non possit, quin eas in medium proferat, utque, si eas non protulerit, quod lectoris spem fefellerit, et praeter consuetam res commemorandi rationem omiserit, juste et aeque in crimen vocandus sit. Qua quidem lege constituta, quamquam statim nova quaedam neque facilior, quae fere nonnisi uniuscujusque sensu et indole decerni potest, exoriatur controversia, utrum ad locum quendam illa ipsa prior regula sit adhibenda, an posterior: tamen in nostram rem posteriorem regulam cadere, quantum fieri poterit, ostendere tentabimus.

Neminem, qui vel primis labiis N. T. epistolas gustaverit, fugiet, praecipuum aliquod et peculiare in epistolis Paulinis illud cerni, easque eo a reliquis N. T. libris differre, quod proxime ad scriptoris vitam referantur. Quam quidem ipsam ob causam fieri licet, ut annos, in quibus Paulinae epistolae scriptae sint, tam distincte computare possimus, quam nullius e reliquis sacris libris tempus. Praesertim autem una res in vita Paulina inest, quam in nulla epistola sub illud tempus, quo illa ipsi evenit, scripta omittebat, Romanam dico captivitatem. In plerisque epistolis Romae conscriptis *δέσμιον κυρίου* se nominat, neque solum tali modo captivitatis disertis verbis facit mentionem, sed unaquaque fere voce aperte nobis prodit, se vinculis constrictum scripsisse. Ac profecto, ut hic taceamus insitum Paulino ingenio fervorem et in evangelio divulgando ardorem, quo incensus liberiorem et ampliorem evangelii praedicandi copiam desiderabat, si modo externam captivitatis, qua Ap. Romae tenebatur, conditionem nobiscum reputaverimus: facile intelligemus, quomodo etiam in scribendo fere nunquam oblivisci potuerit molestorum vinculorum. Ecce enim Apostolum custodia militari contentum (Act. XXVIII, 16), quomodo milite

praesente, quocum erat catena conclusus, sive insolito viri armati adspectu, sive impedito corporis motu, sive catenae strepitu turbatus, se libertate privatum esse, nunquam non monebatur. Duos integros annos Ap. Romae in hoc statu consumsit; duos annos jam antea Caesareae fuerat captivus; quatuor igitur annos coërcita erat ingentis ingenii vis et impetus. Quantam vim has res ad Apostoli mentem et procul dubio etiam ad mores immutandos habuisse suspicabimur? Sane omnes molestias fide confirmatus fortiter toleraverit, omniaque certamina cum semetipso quoque peragenda (quorum indicium quoddam fortasse in loco Phil. III, 12 inest) feliciter decertaverit; sed omnia, quae tum temporis perpessus est, ut in unius cujusque hominis, ita in Apostoli quoque animum profundissime descendisse necesse fuit. Quid? num rem gestam, quae tam diu et penitus totum Apostoli pectus occupavit, ex ipsius liberati, ne dicam memoria — non enim memoria, sed intimo corde ejusmodi res gestae tenentur — sed e conscientia excidisse probabile est, ut nusquam levissime saltem tacta sit? Alium scriptorem, si legerem v. c. Johannem, qui suam personam abscondere solet, praetermissionem talem haud alienam duxerim. Apud Paulum vero, qui semper fere in scribendo praeter rem, quam commemorat, suam etiam personam quasi loquentem et cohortantem inducit, mihi hoc minus probatur. Equidem contra contendo: ut omnes epistolae in captivitate conscriptae, ea ipsa re, quod ab Apostolo captivo sint exaratae, propriam quandam et nativam indolem prae se ferant, qua ab omnibus antea scriptis apertissime discrepent: ita quoque Apostolum in litteris statim post captivitatem scriptis ob hanc, quam diximus, scribendi rationem non fuisse celaturum, se tantam captivitatem nunc tandem feliciter perpessum esse. Quare quam verisimillimum saltem duco, non solum captivitatem, sed etiam liberationem, si utraque jam facta esset, alicubi luculentius significatam fuisse.

Qua in re ne quis contradicat, hujusmodi commemorationem iniquius postulari, propterea quod Tim., cum Apostolo in Macedonia et postea Ephesi versatus has Paulinae vitae res prorsus non ignoraverit. Profecto enim longe alia de causa, atque ut cum iis, qui epistolas ipsius legerent, novos, quos antea nondum compertos haberent, nuntios communicaret, Paulus alias se δέσμιον κυρίου appellabat. Apostolum esse captivum, quin omnes ecclesiae multo prius, quam ex ipsius epistolis acceperint, quis est, qui dubitaverit? Potius ideo saepissime hanc rem repetebat, ut gloriam Dei, qui ipsum tanto periculo propter Christi nomen perferendo dignum censuisset, grato animo praedicaret, itaque ipse, inter summa mala laetissimam fiduciam manifestans lectoribus quoque multifariam vexatis fidei praestantiam et constantiam commendaret et inculcaret (Philipp. I). His ipsis igitur aut similibus rationibus commotus Ap. in nostra epistola, quam saepissime ansam habuit commemorandae vel obiter tangendae tum captivitatis tum liberationis. Quid, ut hoc exemplo utar, num injuste judicemus, Apostolum I, 12 — 16 vincula sua Romana, si modo ea jam perpessus fuisset, et sibi et Timotheo in memoriam revocaturum fuisse? Num pro divino beneficio, quod ipse Christianus factus sit — quam rem, ante viginti annos et quod excedit (Hugio auctore, anno XXXVIII) gestam, et ipsam non ideo memorat, ut Timotheo novi quid tradat —, copiosissimam gratiam agens eandem pro liberatione omisisset? Sane haud prorsus eodem loco habendae sunt conversio illa et liberatio; eventui illi, unde novam, quam abhinc in Christo vixit, vitam repetebat, nullam rem, quae ipsi postea aut contigit aut accidit, aequiparabat. Itaque conversionem in epistolis diversissimo tempore scriptis celebrabat. Sed si quo loco novam Christianae Pauli vitae ἐποχὴν facere placeret, captivitas Romana et liberatio, qua illa uno temporis momento consummabatur, procul dubio essent nominandae, neque his alia quae-

dam res comparari posset. Quare equidem censeo, Apostolum, post captivitatem scribentem, pulcherrimum illum locum (I, 12—16) non antea doxologia (v. 17) quasi obsignaturum fuisse, quam postquam totum pectus et gravissima, quae in eo continebantur, effudisset. Videlicet haec proponens facillime ita intelligi possem, quasi a scriptore, ut, uno vitae facto commemorato semper totam vitae quasi adumbrationem obiter ederet, exigerem. At pro ea conditione, quae hoc nostro loco cogitanda est, ab Apostolo nuper *) a tanta captivitate absoluto et praeter spem ecclesias orientales revisente, sicubi maximas et copiosissimas gratias acturus esset, etiam liberationem praedicatam fuisse, hoc duntaxat propono. Nam quod Apostolus hoc loco (I, 13—17), non modo obiter divinam gratiam celebraverit, sed in praedicanda ea quasi acquieverit, etiam vel inde a versu 15 eandem cogitationem repetierit, et acrius inculcaverit, id plurimum valet ad augendam argumenti nostri vim. Porro in cap. II, v. 7 liberationem significatam saltem exspectarem; ubi quum Paulus se διδάσκαλον ἐθνῶν nominat, quam facile ab hujus muneris mentione ad captivitatem commemorandam deduci potuerit, e loco 2 Tim. I, 11. 12, ubi eadem verba leguntur, luculentissime videmus. Eodem modo caput III epistolae ad Ephesios, cujus versus 8 uno loco idem fere enarrat, quod in nostra epistola I, 13 et II, 7 continetur, redundat locis (v. 1. 13), quae ad captivitatem pertinent. Neque forte objicias, Apostolo nunc libero epistolam tribui, et propterea non fuisse causam, cur vincula commemorasset. Nam e variis illis rationibus supra allatis, quibus

*) Non aliter enim plerumque statuunt VV. DD., atque Apostolum paucis mensibus post liberationem epistolam hanc scripsisse; quamquam hoc fieri non potuisse, neque satis apte et congruenter cum rerum gestarum ordine et temporum rationibus conjungi, jam ostendisse nobis videmur (cf. p. 92 sqq.)

ductus vinculorum fecerit mentionem captivus, ex iis igitur complures eas esse, quibus Paulus, ut etiam liber captivitatem meminisset, commoveri potuerit, quis est, quin videat? — Sane plures etiam hujusmodi locos adhibere possem (v. c. IV, 9. 10), ubi equidem ex solito modo, quo Paulus sententias inter se conjungit et ab una in aliam transit, exspectarem, Apostolum captivitatem, si non enarraturum, tamen quantumvis abscondite indicaturum fuisse. Sed ut aliis id, quod mihi probavi, persuadeam, parum valebit, singula loca enumerando persequi, quoniam, si quis contra disputare velit, ex unoquoque loco, quem nos propter omissam illam captivitatis commemorationem accusaturi essemus, ipse sine sudore sibi causas elicere posset, cur Paulus, etiam post captivitatem scribens, hoc certo loco eam ne tetigisset quidem. Sed hic mirum quoddam discrimen intercedit inter totum aliquem librum singulosque ejus locos. Nam quod de singulis locis dici non utique potest, saepius tamen in totum librum cadit, quoniam scriptor cogi non potest, ut aliquid hoc certo loco, sed modo ut alicubi proponat. In singulari igitur loco facilius excusatur silentium. At in toto scriptoris libro, in cujus familiaritatem nos insinuavimus, pro universo, quum alias, tum in hoc ipso libro scribendi genere — et prae reliquis ipsius, quod legimus, scripti ratio est habenda — rei cujusdam commemoratio aegerrime desideratur. Itaque fit, ut, perlustratis omnibus singulis locis et ob praetermissionem excusatis, scrupulus ipse tamen in toto libro resideat. Hoc igitur meo jure mirari posse mihi videor, quod in tota epistola, occasione, id quod negare non licet, creberrime data, nuspiam se olim vinctum et nunc ecclesias Asiaticas easque diu desideratas recenti recuperatae libertatis elatum gaudio permeantem se significaverit. Taceam, quod in epistolam ad Titum quoque, quae ab interpretibus illis, in quibus refellendis versamur, ad eandem Apostoli liberati aetatem refertur, ne verbum

quidem injecerit de captivitate, quam feliciter evaserit. Nam quamvis, quo plures temporis illius exstarent epistolae, eo justius alicubi vinculorum mentio exspectaretur: tamen eam in epistola ad Titum, quae privatas Titi aut Pauli nusquam fere, publicas ecclesiae res brevissimis proponit, facilius explicari profiteor. Epistola autem ad Tim. tam saepe (I, 18; III, 14; IV, 4. 12 sqq.; V, 21; VI, 11. 20) intimam et privatissimam quasi inter Apostolum et Timotheum necessitudinem persequitur, et ad constantiam commendandam vinculorum mentione tam promto usus fuisset incitamento, ut Apostolum, anno LXV epistolam scribentem, paene operam impendisse crediderim, ut id quod ipsius animo inter admonitionem saepius obversaretur necesse erat, ne levissime quidem attingeret. Quae quidem omnia nobiscum reputantibus, quamvis per se nihil effecisse putare nobis liceat, nisi hoc: fieri potuisse, ut id quod desideramus commemoratum sit: tamen e Pauli moribus illud saltem addere debemus, praetermissionem illam, a veri specie plane et prorsus abhorrere.

IV.

Denique VV. DD. hoc per se gravissimo utuntur argumento, quod et notionum et verborum similitudo in tribus epistolis pastoralibus obvia tam manifesta sit, ut fieri non possit, quin, cui tempori una earum addicatur, eidem ipsi aut quam proximo, etiam reliquae assignentur. Quare quum II ad Tim. epistola necessario in posteriorem cadat captivitatem: epistola nostra, Apostolo captivo utique non tribuenda, ut quam minime a tempore, quo illa sit scripta, segregetur, eidem vinculis liberato adscribenda esse dicitur. Quam quidem judicandi legem si in formam negantem, ut ita dicam, immutaverimus, id fere subest ei: diversam harum epistolarum rationem a reliquis Pau-

linis tantam esse, ut id tempus, quo conscriptae sint, constituere cogamur, cui reliquarum epistolarum nulla amplius debeatur. Ut igitur, quo argumenta illa et e diversitate a reliquis epistolis, et ex earum inter se similitudine ducta tendant complectar: propter communem proprietatem epistolae posteriori, quod significavimus, tempori adscribuntur. Quae quidem universa argumentandi ratio quum maxime ab authentiae adversariis ad epistolam nostram judicandam adhibita sit: rem ita tractare conducet, ut adversarios quoque, quorum causam jam in Introductione attigimus, simul inducamus. Inter utrumque enim interpretum genus si rei, quae nobis dicenda est, cardinem ante oculos habuerimus, plane eadem intercedit ratio, et id quidem inter plurimos eorum convenit, ab Apostolo, quem et qualem in reliquis epistolis cognovimus, hasce pastorales scribi non potuisse. Hoc alteri adeo contendunt, ut epistolam nostram a Paulo scriptam esse prorsus negent; alteri, argumenti momento imminuto, alterum quasi Paulum inducunt, qui, extrema aetate non idem ac priori, nostras epistolas a reliquis diversas conscripserit. Quo quidem modo nos etiam ad eos, qui epistolam I ad Tim. aperte rejecerunt, respecturos esse, non est, cur ii, qui posterius, quo illa scripta sit, tempus amplectentes authentiam bene defenderunt, aegre ferant. Nam quidquid contra illos, qui discrepantiam illam maximam esse affirmant, effecerimus, id saltem contra eos, qui eam minorem esse, neque tam magnam, ut authentia neganda sit, demonstrasse nobis videbimur. Quare jam rem altius repetentes ita exordiamur, ut, quid de hac epistolarum pastoralium proprietate judicatum sit, in iisque judicandis profectum, proponamus, et tum eam ipsam paulo fusius tractemus. Caeterum, quod praeter epistolae adversarios etiam reliquos interpretes, in quoscunque hac de re gravius disputantes incidimus, adhibuerimus, quamquam justus disputatiun-

culae ordo solummodo ad eos tendit, qui tempori inferiori epistolam tribuerunt, quodque hoc loco totam illam, quam supra (p. 16) indicavimus, quaestionem tractaverimus, id speramus, fore ut nemo moleste ferat, qui in causa gravissima plurimos testes audire fas esse censuerit. Singula vero et subtiliora saepius, quam accuratissime facere potuérimus, persequi adeo nostrum esse arbitrati sumus, ut verbis nostris, utcunque sint, propterea ne veniam quidem petere voluerimus.

Quicunque hodie, fortassis antea obiter monitus, epistolas nostras propria quadam indole a reliquis differre, libero et ingenuo animo eas perlegerit, is fere non poterit, quin, modo Paulinam indolem in caeteris manifestam ante oculos habuerit, saepissime in singulis legendis haereat et offendatur. Quare fere mirum esse videtur, quod hoc, quod tam promtum et in conspectu esse videtur, tam diu praeteritorum omnium saeculorum sagacitatem fugerit, ut nostri demum temporis duobus viris criticis hoc eruere contigerit. Quod si nobiscum reputaverimus, per se fere illud explicatur, cur praeclari illi viri critici, qui hanc palmam detulerunt, Schleiermacherus et Eichhornius, quum primum hoc, quod vetus ecclesia non observaverat, reperirent, rei ab ipsis repertae novitate et gravitate paullulum capti et pellecti statim conjecerint, ecclesiam de vero epistolarum antea non satis perspectarum auctore esse deceptam et fraudem alicubi latere. Nihilominus novam nostrarum epistolarum rationem ob oculos proponentes, optime promeruerunt de iis duumviri illi. Iisdem autem paululum obtrectandum est, quod, proprietate epistolarum majoris, quam fas est, aestimata, singularem quandam eamque ampliorem verborum et locutionum copiam in unoquoque Pauli libro deprehendi neglexerint. Quare etiam Planckio V. D. (p. 51) laus debetur, quod, collatis *ἅπαξ λεγομένοις*, quae in reliquis epistolis reperiuntur, cum iis, quae nostra I ad Tim. habet, non multo mi-

norem eorum numerum in aliis inesse demonstraverit, atque in nostra. Modum porro excedunt adversarii, qui, quaecunque discrepare videntur a Pauli stilo, nullo aut non satis magno singulorum discrimine facto, tanquam prorsus ab eo aliena reprehendant. Ideo Bertholdtio grates agamus, qui, quum vocabula ἅπαξ λεγόμενα generatim distribuerit et sejunxerit ea, quae plane e caeteris N. T. libris exulant, ab iis, quae Paulo cum aliis, quibuscum usu erat conjunctus (v. c. Luca), communia sunt, valde imminuit in epistolis nostris vocabulorum, quae ad eas judicandas aliquid ponderis habenda sunt, numerum. E contraria parte epistolae defensores adversariis etiam justo plus de gravissimo hoc, quod e sermonis proprietate ducitur, argumento detraxisse mihi videntur, ut Süfskindius l. c. 346, qui, quod Paulinarum epistolarum haud multae ad nos pervenerint, demonstrari posse negat, vocabulum, quod in epistolis ad nostram aetatem servatis vel non extra pastorales, vel in his ipsis semel modo legatur, in epp. fortasse deperditis usurpatum non esse vel usurpari non potuisse. Quare mihi quidem adversarii (cf. de Wette pag. 280) jure meritoque conqueri videntur, quod perperam judicetur de analogia critica. Tametsi sane confitear, propriam scriptoris alicujus indolem nemini necessario probari et persuaderi posse, adeo ut cum alio utique convenire cogatur, quoniam alii contra concedendum est, idem scriptoris ingenium diversissimis et quasi multicoloribus verborum vestimentis indutum esse posse. Sed in nostra re non solum verba sed etiam notiones invectas animadvertes, quae a Pauli more discrepant; quas ipsas tribus his epistolis c o m m u n e s esse, saepius inexploratum relictum est. Nos autem, si epistolis nostris proprium quendam colorem inductum esse fateamur, quo a caeteris differant, nihiloque secius eas genuinas esse dicamus: respondere debemus adversariis, quomodo explicari possit, t u m h a s e p i s t o l a s a r e l i q u i s e j u s d e m s c r i p t o r i s

diversas esse, tum in iis, quae diversa sunt, eas inter se consentire.

Quodsi quis peculiarem cujuspiam epistolae naturam inquirere velit, haec tria fere ei animadvertenda sunt, primum quo in argumento versetur, tum ad quem sit scripta, denique quo tempore sit scripta; quorum si quid aliter, ac nunc est, sese habet, epistolae et ratio et scribendi genus simul commutetur necesse est. Harum igitur rerum seorsim unamquamque consideremus, ut videamus, primum, an fieri liceat, ut haec tria ad quaestionem nostram explanandam adhibeantur, deinde an fieri debeat, ut his tribus ad epistolae nostrae discrepantiam explicandam utamur. Praeterea ex hac utraque, quam modo proposuimus, norma de epistolarum proprietate disputantes, etiam huic cavere debemus, ut ne confundamus, quid intercedat inter nostras epistolas et reliquas Paulinas, et quae illarum sit ratio inter semet ipsas, adeo ut priori loco explicaturi simus, unde a reliquis epistolis diversitas, posteriori, unde inter pastorales ipsas similitudo sit repetenda.

A.

Rem ipsam igitur tractandam ita accedamus, ut an fieri liceat quaeramus, ut omnes tres illi explicandi modi ad diversam nostrarum epistolarum a reliquis rationem expediendam adhibeantur.

Primum si hae tres epistolae cum reliquis Paulinis conferuntur, argumenti plana ac manifesta est diversitas. Nusquam enim in caeteris reprehensos legimus, qui pravas opiniones disseminarent in ecclesiis Titi et Timothei curae commissis: quid igitur mirum, quod alibi in vocabula, ut: μῦθοι (1 Tim. I, 4; 2 Tim. IV, 4; Tit. I, 14), ζητήσεις (1 Tim. I, 4; 2 Tim. II, 23; Tit. III, 9 etc.), λογομαχίαι (1 Tim. VI, 4; 2 Tim. II, 14), γενεαλογίαι

(1 Tim. I, 4; Tit III, 9) et quae sunt similia, non incidamus? Neque in aliis epistolis (ep. I ad Cor. quoque nonnisi ad certas quasdam res, quae Paulo fama (cap. V) aut ipsius ecclesiae Corinthiacae litteris (cap. VII) innotuerunt, est referenda) tam copiose de toto ecclesiae statu praecepta traduntur. Quare non habemus, quod haereamus in vocabulis, quae, quum aliae alibi res tractentur, in reliquis Pauli scriptis non reperiantur. At vero, si quis in iis easdem res aliis vocabulis significari censuerit, accuratius ei disquirendum est, an vere idem alia voce dictum sit. Sic, ut exemplo utar, Eichhornio vix *) quisquam adstipuletur dicenti (p. 323), loci 1 Tim. I, 5 verbis τὸ τέλος τῆς παραγγελίας idem contineri, quod Rom. XIII, 10. 9. 8. legatur.

Sed secundo loco majora jam subsidia ad

---

*) Procul fere dubio erravit V. D. quum in universa hac propositione, tum in eo, quod Paulum, si de amore tanquam primario doctrinae christianae praecepto loquutus esset, semper usum esse putaverit dicendi formulis, quales sunt πλήρωμα, πληροῦσθαι. Apostolo vocum varietatem sive potius eandem sententiam diverso modo exprimendi facultatem — nam alia voce, quae adhibetur, semper sententia plus minusve diversa continetur — fuisse, ipsum cap. XIII epistolae ad Rom. docet, in quo etiam ἀνακεφαλαιοῦσθαι legitur (cf. Eph. III 19 ὑπερβάλλειν). Tum neque παραγγελία idem sonat, quod νόμος, neque τέλος idem, quod πλήρωμα. Πλήρωμα enim consummationem, vel perfectionem esse constat, πλήρωμα τοῦ νόμου, id, quo νόμος consummatur vel perficitur; τέλος contra est finis, sive id quo παραγγελία finienda sit, sive quo tendere debeat. Νόμος autem est lex divina litteris exarata hominibusque tamquam firma agendi norma tradita; παραγγελία contra humana cohortatio, (idem fere, quod alias παράκλησις) publica institutio ore tradita, quae (opposita ζητήσεσι τῶν ἑτεροδιδασκαλούντων discordiam et invidiam conflantibus) hominum animos amore conjungere debeat. Quae quidem explicatio quominus statuatur, illud non prohibet, quod v. 8 νόμος ipse commemoretur, quasi haec vox idem sibi voluerit, quod παραγγελία: nam notionem legis Mosaicae commemorandi νομοδιδάσκαλος (v. 7) praebet ansam.

epistolas nostras illustrandas nobis redibunt ex contemplatione eorum, ad quos scriptae sunt; quippe e qua sola demonstrari possit, cur Paulus in his ipsis epistolis hanc sibi scribendi materiam delegerit. Nam has solas ejus habemus epistolas singulis hominibus inscriptas, quum contra caeterae ad totas ecclesias compositae sint (exceptis litteris ad Philemonem missis, quae tamen et ipsae, utpote quae sint de rebus privatis scriptae, in nostrarum exemplo non sunt habendae). Saepius quidem interpretes hanc rationem late patentem afferunt, sed plerumque, quid tandem sibi velit et quid faciat ad id quod quaerimus explicandum, silentio praetereunt. Hugius autem V. Cel., quae obiter proposuit pag. 396, ea nos commoverunt, ut singula accuratius persequeremur.

Pastorales igitur epistolae ad singulos viros eosque Pauli συνεργοὺς missae, hanc ipsam ob causam propriam quandam prae se ferunt indolem. In aliis epistolis ad totas ecclesias missis, ad eosdem qui eas acceperunt, omnia, quae leguntur, pertinent; in nostris paucissima modo ad lectorem, plurima ad alios spectant. In aliis epistolis P. utebatur magna ex parte lectoribus in Christiana doctrina rudioribus, in nostris vero talibus, quos ob fidei robur et constantiam cognitionisque copiam custodes ecclesiis praefecerat. Illas misit ad eos, quibus ipsis aut cavendum erat, ne falsae doctrinae contagione vitiarentur, aut qui jam pravas opiniones animis imbiberant; has ad eos, qui tutos redderent alios a perperam docentibus. In illis igitur epistolis id potissimum agit Apostolus, ut fidem corroboret et mores emendet, ideoque legimus ibidem copiosiora quaedam ad doctrinam et mores pertinentia, sive, ubi, ut in epistolis ad Corinth., de externis quoque ecclesiae rebus agitur, quae de his praecipiuntur, iis plerumque, qua de causa aut dogmatica aut morali aliquid fieri aut non fieri debeat, adjicitur (1 Cor. V. VI. VII et ubique). In nostris contra epistolis semper

fere, lectori bonam fidei et vitae regulam jam inesse, sumitur a scriptore, aut sicubi non ponitur, Christianae virtutes brevibus modo commemoratae summatim in memoriam revocantur (2 Tim. II, 22; 1 Tim. VI, 11). Haec si firme tenebimus, lux fortassis afferetur multis rebus, quarum discrepantiam a reliquis epistolis Paulinis difficillime explicari, recte judicaverunt adversarii. Quis enim casu evenisse putet, ut vocabula, qualia sunt ὑγιαίνουσα διδασκαλία (1 Tim. I, 10; 2 Tim. IV, 3; Tit. I, 9; II, 1), λόγοι ὑγιαίνοντες (1 Tim. VI, 3; 2 Tim. I, 13,), λόγος ὑγιής (Tit. II, 8), ὑγιαίνειν ἐν τῇ πίστει (Tit I, 13; II, 2) quorum nulla in aliis vestigia exstant, in his novies legantur. Cujus rei idoneam causam*) in diversitate hominum, quibus destinatae fuerunt epistolae, sitam esse crediderim. Qui enim fieri potuisset, ut Apostolus ad universas ecclesias scribens, in quibus, ut ubique, opinionum genus utrumque et sanum et corruptum fuisse, sponte intelligitur, tam brevibus dicendi formulis alterum probaret, alterum vituperaret? Enuntiatione tam brevi si de re judicatur, judex, qui ineptiae et obscuritatis notam effugere voluerit, conjecisse censendus est, non ignorasse lectorem causas, de quibus quid condemnaverit vel comprobaverit. Spectatum quidem collegam hac judicandi facultate instructum esse confidere potuit, totam vero ecclesiam minime potuit. Neque, ut hoc exemplo utar, tam praecise: εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ scripturus fuisset ecclesiae, quae, quid sanae doctrinae contrarium esset, non statim ob oculos haberet, sed copiosa expositione de singulis, quae a Christiana institutione dissentirent, edocenda erat. Sin autem quis contra diceret, Apostolum etiam in aliis epistolis

---

*) Berthholdtius hunc dicendi usum sagaciter quidem, sed minus apte ad etymologiam nominis Essaeorum (ab אסא, sanavit; si quidem doctrina ipsorum animae medicinam et salutem afferri crediderint) refert, quod Paulus obiter tangere voluerit. Cf. Berth. p. 3461. 3512. Alii aliter hanc difficultatem dirimunt. Cf. Hug. p. 397.

postquam exposuisset, quid verum, quid falsum esset, hujusmodi dicendi formulis, quae ipsi ad Timotheum et Titum scribenti familiarissimae sunt, διδασκαλία ὑγιαίνουσα et quae sunt similes, uti potuisse: respondebo, ὑγ. διδ. non singularem quandam doctrinam, sed totius doctrinae christianae summam significari. Id quod quam luculentissime e locis 1 Tim. I, 10; VI, 3, ubi illa vox omnibus, quaecunque a pura doctrina receunt (εἴ τι ἕτερον τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ ἀντικεῖται), opponitur. Qualis quidem oppositio per se minus apta erat ad epistolam toti ecclesiae scribendam, quippe quae neque ipsa omnia, quae a puro evangelio discreparent, intelligere et satis distinguere aut poterat aut opus habebat, neque ab Apostolo in epistola de unoquoque errore singulatim edoceri poterat, ut omnia satis intellecta et distincta haberet. At nonne in epistolis ad ecclesias scriptis voces inveniuntur, quae totam disciplinam Christianam comprehendunt? Nonne saepissime legitur εὐαγγέλιον, ἀλήθεια, λόγος τῆς ἀληθείας? Ita; sed ne omittas διδασκαλίαν ὑγιαιν. oppositam esse τῇ ἑτεροδιδασκαλίᾳ, ut ita dicam, quae in doctrina Christiana ipsa versatur, et etiamsi extrinsecus admixta, tamen semper ipsius speciem mutuatur. Εὐαγγέλιον contra ad divinam doctrinae originem refertur, oppositumque est imperfectae omnium hominum cognitioni universisque eorum erroribus. Λόγος vero ἀληθείας tum eodem modo atque εὐαγγέλιον latissime patet (in nostris etiam epistolis, quae saepius vulgarem quoque Paulinarum epistolarum loquendi usum sequuntur, creberrime legitur: 1 Tim. II, 4; III, 16; IV, 3; 2 Tim. III, 17); tum alia quadam ratione ad paganorum opiniones respicit (Eph. I, 13), quibus jam Judaei verum Jehovae cultum opposuissent, alia ad Judaeos ipsos, quorum ἐπαγγελίαι patribus olim dictae in Christo impleta essent (2 Cor. II, 20; Col. II, 17). Vocibus igitur, quas exemplo proposui, non idem significari, atque iis, quibus in nostris epistolis offendimur, id

id jam inde facile intelligitur, quod vix ullo loco verba εὐαγγέλιον, ἀλήθεια caett. cum voce λόγος ὑγιής et quae sunt similes, permutare licuerit. Apostolus, si εὐαγγέλιον et ἀλήθειαν ecclesiis commendabat, ab omnibus, quid interesset inter Judaicas vel paganas et Christianas sententias universas, intelligi et distingui, suo jure credebat. Unusquisque, quum antea ipse Judaeorum aut paganorum partes secutus esset, pravam eorum indolem cognitam habebat cognitamque rejiciebat, modo in synagogis et templis versantes vultum aperte ostenderent. Sane etiam ne haec quidem cognitio omnibus eadem erat, sed alii amplior et clarior, quam alii. Sed nisi Paulus aliqua doctrinae elementa ab omnibus jam percepta simpliciter poneret — potuit autem ponere sanctis illis ecclesiae temporibus, ubi plurimi nonnisi intima animi persuasione et aliquo, qui necessario cum ea conjuncta erat, veri bonique sensu ducti ad evangelium accedebant —: qua tandem re evangelicam institutionem exordiri aut continuare potuit? Longe aliud erat, si subtiliores Judaeorum ac paganorum errores in ipsos Christianorum coetus irrepserant. Quippe quum ipsam Christianam speciem induerent, institutionem publicam ipsam inquinabant et quasi aegrotam reddebant, ita ut multi deciperentur et pellicerentur. Cujus autem erat hoc praecavere? cujus, si morbus jam adesset, ei mederi? quorum, unde quaeque sanatio ordiri debet, malum reperire et perspicere? Hoc profecto adeo jam tunc temporis non omnium Christianorum erat, ut proprio cuidam χαρίσματι (διακρίσεις πνευμάτων 1 Cor. XII, 10) hoc munus tribueretur. Quibus autem prae reliquis hoc spiritus sancti donum impertitum fuisse crediderimus? Nonne maxime iis, qui accuratiorem Christianae doctrinae notitiam habebant? Igitur si ii evangelii et internam indolem et cum exteris controversias optime perspexerunt, qui ut Titus et Timotheus praeceptorum muneribus fungebantur: nonne inde per se intelligitur, in episto-

lis ad hos scriptis vocabula, qualia λόγος ὑγιὴς et κενοφωνία rectissime atque aptissime usurpata esse? Quid igitur mirum, quod alias ejusmodi vocabula, ad quorum genus plurima harum epistolarum propria pertinent, non legantur! Quae modo protuli, a Pauli moribus et ingenio non discrepantia, sed ei accommodatissima esse, ex aliis ejus epistolis probari licet, quae ad ecclesias ipsas a pravis opinionibus purgandas sunt scriptae. Imprimis inde perspicitur, qui evenerit, ut in epistola eidem Ephesiorum (si titulus genuinus est) ecclesiae, ad quam mandata Timotheo tradita pertinebant, missa, quamvis contra falsos praeceptores pugnatum sit, tamen loquendi formulae nostris litteris propriae non inveniantur. Neque enim tam hoc poscitur ab ecclesia illa, ut, quid falsa, quid vera doctrina sit, ubivis statim perspiciat, quam illud, ut sancte honesteque ejus cives vivant (ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως Eph. IV, 1), mutuoque amore et concordia frater fratris vitia et peccata toleret eique ignoscat (ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ); has enim res adminicula esse fidei pacisque (σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης). Ea igitur erat Paulinae disciplinae ratio, ut λαϊκὸς (si modo hoc posterioris temporis verbum ad ecclesiae Apostolicae statum adhiberi licet) maxime morum sanctitate prohibere juberetur, quominus falsi doctores, qui ad homines degeneratos facillimum aditum haberent, in ecclesiam irreperent. Sed ubi ἑνότης τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως (v. 13) servanda, corruptoresque isti magis argumentis quam factis refellendi sunt, ibi saepe id munus praeceptoribus (v. 11: καὶ αὐτὸς (Deus vel Christus) ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους...., τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, qua voce hoc nexu imprimis ii, qui non erant ἀπόστολοι caett. significantur) injunctum offendimus, ut ne ecclesias per illos sollicitari, a rectaque via abduci patiantur (μὴ κλυδονιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας).

In ipsa quidem ad **Ephesios** ep. locutiones occurrunt simillimae: 1 Tim. I, 6 *ματαιόλογία* = Eph. V, 4: *μωρολογία* (vox alibi non obvia; sed *μωραὶ ζητήσεις* leguntur l. l. 2 Tim. II, 23; Tit. III, 9); — porro 1 Tim. VI, 20; 2 Tim. II, 16: *κενοφωνίαι* = Eph. V, 6: *κενοὶ λόγοι*. Ex quo dicendi usu quodammodo simili epistolisque ad Tim. et ad Eph. communi sicut aliquis elici et comprobari posse putaverit, et hanc vere missam esse ad Eph., quoniam res Ephesiorum in epistola ad Tim. eaedem descriptae sint, et illas vere a Paulo esse exaratas, quandoquidem res in epistolis ad Tim. scriptae etiam ex epistola ad Ephesios confirmatae: ita nostrorum argumentorum, quae ad explanandam epistolarum pastoralium indolem adhibuimus, vis et momentum totum eversum esse videri possit. Sed re diligentius perpensa videbimus, ista vocabula aliud sibi velle in epp. pastoralibus, aliud in litteris ad Ephesios. In ep. ad Ephesios Ap. *μωρολογίαν* propter totius orationis tenorem (*αἰσχρότης καὶ μωρολογία ἢ εὐτραπελία, τὰ οὐκ ἀνήκοντα*) non falsam doctrinam intelligit, sed obscoenos sermones turpesque facetias; *κενοὺς* vero *λόγους* idem fere sibi velle, singulorum versuum *παραλληλισμῷ* *), qui dicitur, comprobari licet. In nostris vero epistolis non de singulis hujusmodi inhonestis vanisque ser-

---

*) Versu 5. *πόρνους, ἀκαθάρτους, πλεονέκτους* (quae verba accuratissime respondent vocabulis v. 3. *πορνεία, ἀκαθαρσία, πλεονεξία*), tam acriter increpat, ut ab *ἁγίοις* hujusmodi homines eodem loco atque *εἰδωλολάτραι* habendos esse dicat. Qui contra *τῇ μωρολογίᾳ ἢ εὐτραπηλίᾳ* dediti essent, hos lenius perstringit; his, quum *κενοῖς λόγοις* uterentur, *ὀργὴν τοῦ θεοῦ* futuram minatur (*ὀργὴ τ. θ. ἔρχεται ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας*), dum *εἰδωλολάτραις* praesentem indicat. Tum utrumque hominum genus uno versu (7) comprehendit, et cum iis consuetudinem habere vetat. Quae explicatio adeo *παραλληλισμῷ* versuum commendatur, ut eam contra interpretes, qui saepius v. 6 ad certorum quorundam perperam docentium doctrinam referunt, meo jure contendisse mihi videar.

minibus disputat Ap., sed de tota quadam βεβήλων κενοφωνίων καὶ ἀντιθέσεων τῆς ψευδωνύμου γνώσεως (VI, 20) disciplina; cui quidem soli διδασκαλία ὑγιαίνουσα opponi potest.

Pariter epistolae ad Colossenses, quae maxime nobis repugnare videatur, caput II ab eo discrimine, quod inter epistolam ad ecclesiam et ad unum e συνεργοῖς interesse docuimus, non discedit *). In epistola enim ad Colossenses luculenter traditur, quae sit pravae doctrinae natura et indoles: Contra in ep. ad Timotheum id omittitur, quippe qui satis hoc compertum habeat. Ut exemplum, quo jam usus sum, repetam (I, 3), satis indefinite dicitur: ἵνα παραγγείλῃς τισὶ, μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Nam, an insequentibus verbis: μηδὲ προσέχειν τοῖς μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, omnium eorum, quae haeretici turbatores isti docere consueverint, descriptio contineatur, vehementer dubito. Praeterea ea, quae de propria nostrarum epistolarum natura proposuimus, ipso nostro loco comprobantur. Paulus enim

*) Ep. ad Colossenses etiamsi excipienda esset, hoc eo satis explicatum foret, quod illa sola scripta est ad ecclesiam, quae non a Paulo ipso ac fortassè ne a Pauli quidem discipulo informata erat. Epaphras enim Colossensis (Col. I, 7; IV, 12; Philem. 23; — qui vix habendus est idem cum Epaphradito (Philipp. II, 25; IV, 18) quoniam utroque nomine in epistolis, ubi occurrit, Paulus nunquam promiscue utitur) Apostoli discipulus non fuisse videtur, sed tantum, quod, et ipse praeceptor, cum Paulo in carcerem conjecto (συναιχμάλωτός μου) familiaritatem contraxit, eique ibi serviebat, ἀγαπητὸς σύνδουλος, διάκονος nominatur. Quum igitur Colossensibus Pauli doctrina non innotuisset: P. ab Epaphra de falsis doctoribus certior factus Colossensibus demonstrare voluit, quam perversa esset illorum doctrina, atque hoc quoque maxime in praeceptorum usum fecisse videtur. Quare in epistola ad Ephesios, caeteroquin epistolae ad Colossenses omnino parallela, ipsum caput II epistolae ad Coloss., quod in epistola ad Ephes. post cap. III inserendum fuisset, omittitur, quod haec ecclesia a Paulo docta etiam Paulinos habebat magistros, qui ex ejus consuetudine falsis doctoribus resistere poterant.

procul dubio persuasum habuit, Timotheum scire, quid essent μῦθοι, et quae homini Christiano pro nugis essent habenda. Sin autem epistolam ad ecclesiam scripsisset, non dubito, quin, quaenam res μύθοις adnumerandae essent (Corinthiis e. g. hujusmodi res fuse exponit 1 Cor. VIII), adjecisset. *Γενεαλογίαι* autem ἀπερ. etiam in nostra ep. aperte significantur, ut Tim. ad has refellendas animum eo acrius intendat. Sed non dubitabat P., quin Tim. de perversis istis ac praeposteris studiis recte sentiret. Eo solo loco, quo Apostoli sive intelligentia, sive divinatio (IV, 1) futura praenunciat, corrupta doctrina accuratius adumbratur. Itaque ex his dicendi formulis, quae, et firmiorem fidem et maturiorem scientiam inesse lectoribus, semper fere ponunt, miro quodam modo elucet, quam accommodatae sint epistolae pastorales iis, ad quos pertinent. Nostris in epistolis primum quasi ecclesiae scriptorem legimus (nisi forte quis prius etiam hujus discriminis exemplum invenerit in ipsis Jesu orationibus partim ad totum populum partim ad intimos, qui mox populum docturi erant, discipulos pertinentibus), cui, etiamsi obscurius, in scribendo obversabatur, quid interesset inter communem populi cohortationem et exquisitiorem praeceptorum institutionem. Nostrae autem epistolae praecisius illud, quod diximus, loquendi genus, etiamsi a plurimis, quae ad praecepta ecclesiastica spectant, discesseris, in nonnullis aliis quoque ostendunt, quae quasi dogmatica sunt (1 Tim. III, 16; 2 Tim. II, 11. 12. 13*)) et ethica (1 Tim. VI). Praeceptis vero, quae ad disciplinam ecclesiasticam respiciunt fere omnibus haec propria ra-

---

*) Hos quidem locos propter accuratam et subtilem brevitatem, nisi omnia distincta harum rerum nomina e nostris disciplinis ad N. T. translata aliquid inepti prae se ferrent, cum dogmaticis formulis compararem, sive normas ad formam dialecticam redactas et expressas nominarem.

tio tam luculenter insidet, ut non sit, cur exempla afferam. Profecto igitur nostras epistolas, de ecclesia gubernanda ad praeceptores missas, ut theologiae practicae κατ᾽ ἐξοχὴν, ita universae theologiae initium dixerim, siquidem hanc eam definire licet, quae ecclesiae instituendae et gubernandae praebeat facultatem. Fortasse hac ipsa ratione, quod Apostolo interdum obversabatur, non esse, cur praeceptoribus scriberet, quae in publica institutione aut ab ipso jam saepius accepissent, aut vel ipsi in docendo saepe proferrent, τῶν ἅπαξ λεγομένων frequentia declaratur. Tantum igitur abest, ut ob ea epistolae recte in suspicionem vocentur, ut ex iis permagnum Paulini ingenii, quod in omnibus rebus aptissimum et sollertissimum se ostenderit, et prudentia et varietas comprobetur, eique nova quaedam, quam in reliquis epistolis non comparaverit, laus et gloria sit addenda.

Iam t e r t i o loco de t e m p o r e disserentes, an fieri l i c e a t, ut id quoque ad diversitatem explicandam adhibeatur, enucleatius et disertius disquirere debemus. Temporis etiam rationem pertinere p o s s e ad id, quod volumus, explicandum, nemo fere apertis verbis negaverit. Attamen, an quis ex ipsis epistolis idonea exempla haurire possit, unde universa haec tertia ratio pariter ac prima et secunda illa illustretur, valde dubitamus. Quodsi certum illud tempus perpenderimus, quod utrum ad diversitatem, quam dicimus, explicandam adhiberi possit, nec ne, quaeritur, tempus dico post priorem captivitatem: profecto VV. DD. nobis concedere debent, ut quaeramus, q u a tandem r e captivitas Romana epistolas a reliquis discrepantes effecerit. Quocirca fortasse quispiam responderit, Apostolum Romae inter vincula, quum saepius solitariae meditationi vacaret, de multis rebus, quae ad fidem spectant, novas sententias assumsisse, et quum sensim aliam cogitandi et percipiendi rationem secutus esset, aliter scribere quoque coepisse. Ut exemplum nobis edat: attulerit fortasse novam illam σωτῆρος notio-

nem, quae nostris in epistolis ad Deum, in reliquis (cf. Philipp. III, 20) solummodo ad Christum (cf. Eichh. p. 317; Schleierm. p. 79) relata, quodammodo vestigia originis e captivitate repetendae prae se ferat. Nam quum Deum patrem etiam alias eum praedicasset, qui ipsum a periculis defenderet (2 Cor. I, 8), Paulum tum tam diu vinculis oppressum deinde liberatum tandem ei quoque servatoris nomen substantivum addidissse, quod antea Christo soli tribuisset, quippe quem inde e magno illo conversionis eventu σωτῆρα cognovisset, per quem cum Deo haberet communionem. Inde a liberatione demum e captivitate Romana, hoc altero magno eventu (cf. infra), cujus gratias Deo patri potissimum agere consuevisset, idem nomen ad patrem retulisse, et id quod initio corporis vindici tribuisset, mox etiam ad animi liberatorem (nam haec tritissima est epistolis nostris ratio, 1 Tim. I, 1; II, 3; IV, 10; Tit. I, 3; II, 10; III, 4) transtulisse. — Porro dixerit aliquis Apostolum Romae captivum linguam latinam usu edidicisse. Quid igitur esse mirum, quod nova loquendi ideoque cogitandi etiam ratione imbutus epistolas alio modo atque antea composuerit? Sed exemplis apertioribus vix quisquam confirmare possit, linguae latinae usum vim habuisse in epistolis nostris conscribendis. — Denique nobis in animum injiciatur, Apostolum cum variis hominibus consuetudinem habuisse et praesertim Romae captivo virorum magna et varia ingenii vi praestantium usum patuisse. Sic, audivi, qui, ut hujus rei disertum aliquod exemplum ederent, ad epistolas illas mutuas Pauli et Senecae nomine inscriptas provocarent; quae etiamsi subditiciae, tamen ad rem aliquam vere gestam pertinere possent. Quum enim P. Romae revera in Senecae familiaritatem venisset: subjectorem aliquem, qui hanc rem memoriae prodere voluisset, epistolas illas effinxisse. Sed omnia hujusmodi pericula rem, quae per se est obscura, singulis exemplis illustrandi nemo fere sibi proba-

verit, ut ne aut putidior aut morosior, quid? nimis credulus dicatur. Sed idem, quamvis repulsis certis aliquot explicandi modis, tamen concedere debet, aliquid saltem valuisse ad epistolarum conscribendarum rationem immutandam. Itaque sive disertis verbis aliqua causa proferatur, sivé quis, quamvis aliquam fuisse concedat, quae fuerit, definire noluerit, illud e reliquis epistolis opponere posse nobis videmur: si hoc modo nostrarum epistolarum conditionem explicaverimus, quae fuerit reliquarum in priori captivitate compositio, intelligi vix posse. Profecto unusquisque, qui aliquid ad stilum immutandum vim habuisse putaverit, etiam illud non negabit, sensim sensimque id effectum esse. Quis enim verisimile duxerit, Apostolum subito novum scribendi genus amplexum esse? Atqui epistolas habemus in captivitate ipsa scriptas, in quibus ea, quae epistolis pastoralibus propria sunt, adeo non insunt, ut ab his ipsis maxime differant. Sic epistolae ad Coloss., Philipp. et Philem. brevi, antequam Apostolus vinculis exibat, datae, in quibus tamen ratio illa non minus aut saltem aliquantulum apparere debuisset, nulla fere ex parte cum nostris comparari possunt. Quid inde sequitur? Profecto illud, Ap. epistolas illas, quae cum solito, quo utitur, modo consentiunt, scribentem, nondum ea re affectum fuisse, quae epistolarum insolito modo scriptarum erat causa. Apostolum conscriptis ad Phil., Col., caett. epistolis, mox libertatem recuperasse, jam saepe commemoravimus. Post eas igitur scriptas in captivitate adhuc evenisse aliquid, quod Apostoli stilum mutaverit, vix quisquam sibi probabit, aut si tamen sibi probaverit, in easdem difficultates incidet atque ille, qui, ut aliquid proferat, Apostoli liberati conditionem pervestigat. Nam quum Paulus paucis mensibus post liberationem, I epistolam ad Tim. conscripsisse putetur (cf. p. 89 sqq): quis tandem aliquid ex hoc brevi tempore elicere potuerit, nisi liberationi ipsi aut alicui, quaecunque fuerit, rei magicam, ut ita dicam, tribuerit vim? Insuper quo pacto factum esse cre-

diderimus, ut Ap., quem in annis prioribus tam firmum atque sibi constantem in omnibusque rebus suo judicio et arbitrio confidentem (Gal. I), ut nullum hominem consulere, nedum eum imitari voluerit, cognovimus, idem nunc subito et semel tam mollem et obsequiosum se praestiterit, ut aliorum hominum indolem quasi indueret? Hoc Apostolum fecisse putemus, virum per se ingenio duriorem et tenaciorem, nunc insuper vinculis corroboratum inque persuasione sua confirmatum? Apostolum nunc aetate provectiorem id fecisse, quod juvenis *), quamquam hoc ex juvenum more est, noluerat, eumque brevissimo tempore se praestitisse, qualem per totum ipsius munus eum non deprehendimus? Profecto hae difficultates, e reliquis epistolis repetendae, quod in earum serie nullus quasi transitus conspiciatur, quo Apostolus sensim sensimque ad novam hanc scribendi rationem pervenerit, nequaquam tolluntur a viris doctis. Sed ut has flocci ducamus et subitaneam aliquam mutationis causam nobis persuadeamus: tamen de nostris epistolis scrupulus quidam nobis in animo residet, propter quem totius argumenti utilitatem in dubitationem vocemus. Nam ut brevissimo quisque tempore aliquid fecisse ad Paulinam dicendi rationem convertendam credit: ita justissime ab eo exigendum esse putamus, ut nobis demonstret, quid tandem id fuerit, quod hoc effecerit. Itaque hic nobis in memoriam revocandum est, in quo jam supra haesimus, nusquam in tribus epistolis et ne levius quidem indicari, qua tandem re, sive ea fuerit magnus internae vitae eventus, sive praestantissimi cujusdam viri consuetudo, nuper praeterito aut praesenti adhuc tempore tantopere commotus sit, ut totum stilum converteret.

---

*) *Νεανίας* Apostolus Act. VII, 59 nominatur; idem ille habendus est, qui, quum haud multo post Christianorum numero additus, paucis annis praeteritis, Hierosolyma adiret, *σαρκὶ καὶ αἵματι οὐκ προςαναθέσθαι* dicitur.

At sane fieri possit, ut epistolarum proprietas nos cogat, ut temporis quoque rationem ad eam explicandam adhibeamus. Sed hoc utrum fieri debeat, nec ne, non pertinet ad nos, quaerentes, qua re tres epistolae nostrae a reliquis Paulinis differant, sed examinantes, qua re inter se sint similes. Nam epistolarum diversitas eadem fere est, sive illud, quo a reliquis discrepant, in tribus epistolis, sive in una sola legatur. Neque magis erit, cur de epistolarum similitudine disputantes, quaeramus, an fieri possit, ut omnes tres, quos constituimus, explicandi modos ad eam declarandam afferamus. Nam per se id posse fieri, nemo facile negabit. Quapropter rem ita disposuimus, ut quaestionem, an fieri possit, ad diversitatem, an fieri debeat, ad similitudinem disquirendam retulerimus.

B.

Sequitur igitur, ut exponamus, an fieri necesse sit, ut omnes tres illos explicandi modos ad mutuam, quae in epistolis est obvia, similitudinem explicandam adhibeamus.

Similitudinem quidem epistolarum hoc nostro quoque loco adeo negare nolumus, ut potius id quod antea jam universe proposuimus, acrius etiam contendamus. Nam tantum omnino abest, ut parem quandam epistolarum naturam, et in sermone, et in sententiis totoque genere maxime conspicuam, non agnoscamus, ut libere profiteamur, tantam nobis eam videri, ut, qui unius epistolae adversarius esse voluerit, ab eo etiam reliquas duas rejiciendas esse putemus. Quamobrem Eichhornium omnes epistolas pastorales rejicientem quodammodo magis sibi constitisse censuerim, quam eos, qui earum unam solam in suspicionem vocare maluerunt. Nam eaedem paene difficnltatcs, quae in prioris ad Tim. epistolae sermone deprehenduntur, et quae, rejecta hac epistola, e scriptis Paulinis remotae esse putantur, in reliquas epistolas pastorales, unde nostra conglutinata esse dicitur, recurrunt, neque facilius quidem in his

dissolvuntur. Nos igitur ad causas similitudinis indagandas incumbentes minime Bertholdtio (3509, 3513, 3514, 3522) assentiamur, qui Apostolum epistolarum exemplum apud se retinere solitum, quum posteriores epistolas contexeret, priores perlegisse putat. Quae quidem molesta et putida scribendi ratio et a cujusvis ingenio abhorret, nisi qui plane inertis ingenii sit, et maxime quum a Paulini saeculi indole, tum ab ipsius Pauli moribus dissentit. Nos potius etiam hic solummodo tres illos locos, de qua re, ad quem et quo tempore sit scriptum, afferamus, et quum jam inde e priori (A.) quaestione dubitatio ad nostrum locum pervenerit, an t e m p o r i s ratio nostra in re adhiberi p o s s i t, nunc an adhibeatur n e c e s s e s i t, pertractabimus. Controversia, quae hic cum iis, qui inferioris temporis epistolam I ad Tim. esse contendunt, nobis est ineunda, propterea aliquid dubii et ambigui habet, quod, quamvis epistolas per se esse simillimas jam statuimus, tamen congruentiam tantam esse concedere nolumus, quantam illi quidem sibi persuaserunt. Nam esse quandam librorum similitudinem, quae tanta sit, ut, nisi forte quis inepti quid conjicere maluerit, eos eodem tempore esse scriptos, utique statuendum sit, nemo negabit. Quare interpretes nobis persuadere debent, epistolarum similitudinem revera tam manifestam esse, ut eadem temporis conditio constituenda sit, nos interpretibus, hoc statuere non opus esse.

Ut a re, quae constat inter viros doctos, exordiamur, nihil hac in re plus nobis valere videtur, quam epistolarum quarundam collatio, quas revera eodem tempore esse scriptas, evinci fere potest. Epistolae quidem ad Ephesios et Colossenses ambae ab Apostolo Romae captivo scriptae, et ab uno eodemque nuncio allatae, tam similes sunt, et, ut Grotii verbis utar, quasi consobrinae et consanguineae, ut de Wettius, V. Cel. (p. 256), eas in modum evangeliorum tabulis synopticis describere potuerit. Totus epistolarum ordo idem est, et tot l o c i ad verbum fere conveniunt, ut praeter Cap. II ep.

ad. Coloss. (cf. Adnot. ad p. 116) totum fere unius epistolae argumentum in altera contineatur. Hunc profecto consensum unusquisque tam luculentum esse dixerit, ut eodem tempore epistolas exaratas esse, conjiciat opus sit; et quod conjectura attulit, id disertis locis (Eph. VI, 21; Col. IV, 7), in quibus idem Tychicus eas attulisse dicitur, maxime comprobatur. Igitur si in epistolis illis consobrinis multos locos plane inter se convenientes videmus, ab illis, qui nostras epistolas tanquam tergeminas esse volunt, et nisi uno quasi partu essent editae, manifestam similitudinem aut suspectam et fere ignominiosam, aut obscuram et inexplicabilem nominaverunt, jure meritoque postulamus, ut nobis in tribus epistolis unum tantum majorem locum monstrent, qui cum altero luculentius consentiat. Verba sat multa eadem esse sane concedimus et argumentum quoque similius, quamquam infra etiam hoc, quod dedimus, aliquantum rursus restringere debemus, jam concessimus. Quare quum Apostolo saepius eadem res describenda esset, nonne eum, qualem in epistolis ad Coloss. et Eph. cognovimus, si eodem fere tempore tres epistolas scripsisset, saepius **totos locos** inter se consonos fuisse editurnm, jure statuimus? De **Wettius**, quum et ipse, nisi ejusdem temporis epistolas haberemus, quae fuerint earum rationes, intelligi non posse judicat et quoniam aequales haberi non possint, de authentia dubitat, inter se comparat aliquot locos, quos, ut, rectene comparentur nec ne, eluceat, synoptice componere conducet:

1 Tim. III, 2:	Tit. I, 6:
Δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, νηφάλιον, σώφρονα, κόσμιον, φιλόξενον, διδακτικόν· μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, ἐπιεικῆ, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον caett.	...*μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ*... ..*Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι, ὡς θεοῦ οἰκόνομον, μὴ αὐθάδη μὴ ὀργίλον, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ, ἀλλὰ φιλόξενον, φιλάγαθον, σώφρονα, δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ* caett.

Caetera enim hic apponere jam nihil attinet, quia prorsus inter se discrepant. Quum igitur in summa similitudine magnam utriusque loci diversitatem verborumque dissimilem structuram perspexerimus, neque cum Schleiermachero alterum locum ex altero consutum putabimus, neque cogemur, ut utramque epistolam uno tempore scriptam esse censeamus. Nam loci illi, quos modo suadentibus interpretibus comparavimus, nil valent ad id, quod volumus, refellendum. Quis enim dubitaverit, quin ipsius sententiae, quae utrique loco inest, Timotheo non minus quam Tito*) scribendae ansam etiam diversissima tempora praebuerint parem? Quod autem attinet ad sententiae formam, quam facile per se intelligitur, Paulum in hujuscemodi praeceptis tradendis, certis et ratis quibusdam locutionibus assuevisse, et semper easdem fere usurpasse? Denominationes tales, quibus alicujus virtutes describuntur, a nemine saepius mutantur, sed eaedem tam diu asservantur, quamdiu non est, cur aliae eligantur. Nonne per se patet, cur Apostolus, postquam euphemismum quasi et λιθότητα: μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ assumserat, ne episcopum aperte in πορνείας suspicionem vocaret, eandem formulam semper adhibuerit? Quid? multae res in unaquaque lingua uno tantum certo verbo explicantur, adeo, ut non suppetat verborum copia et delectus, sed necessarius omnibus temporibus ejusdem verbi sit usus. Afferantur alia vocabula, quae idem sibi volunt,

---

*) Tametsi epistolam ad Titum, cujus tempus definiendum non suscepimus, propterea tantum attulimus, quia interpretes semper hanc trilogiam recitant. Sane haec ipsa epistola propius ad annum LIX, ergo ad epistolam ad Tim., accedere credi possit, quam in tanta fontium inopia temporumque tenebris firme comprobari potest. Sed nostra tantum interest, ut ostendamus, epistolarum congruentia, qualis est, non prohiberi, quominus etiam diversis temporibus eas adscribamus.

ut φιλόξενος, σώφρων caett. Simul eaedem res diverso modo exprimuntur ἀφιλάργυρος — αἰσχροκερδής; ἀνέγκλητος — ἀνεπίληπτος, et altero loco continentur, quae in altero desunt.

Porro inspiciamus in locos, qui et ipsi simillimi inter se dicuntur:

1 Tim. IV, 1:	2 Tim. III, 1:
Τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προςέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων caett.	Τοῦτο δὲ γίνωσκε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνςήσονται καιροὶ χαλεποί. Ἔσονται γὰρ οἱ ἄνθρωποι φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες caett.

Sed hos quoque versus pro similioribus haberi minime licet. Loco ep. II ad Tim. καιροὶ χαλεποὶ praedicuntur. Itaque major quaedam corruptela et pernicies significatur, cujus plures ecclesiae Ephesinae cives participes futuri sint; in I epistola, nonnullos (τινὲς) fidem denegaturos esse, praesagitur. In II ep. aliquid indicatur, quod ἐσχάτοις χρόνοις (ultimis temporibus) itaque ἐν παρουσίᾳ Χριστοῦ, in I ep., quod ὑστέροις χρόνοις (posterioribus temporibus, quae significatio minus apte in παρουσίαν cadit) eventurum sit. Hic sermo est praecipue de fidei pravitate, illic de morum corruptela, hic de asceticae vitae studio (κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων), illic de effrenata et libidinosa vivendi ratione (φιλήδονοι, προπετεῖς).

His duobus tantum locis, nescio similioribus an dissimilioribus, utitur de Wettius. Praeterea alios quosdam locos utpote inter se comparandos affert Heydenreichius (l. c. p. 52), quibus maxime id demonstret, statum ecclesiae Ephesinae in priori epistola prorsus eundem describi, atque in posteriori. Quod si argumentis satis idoneis et disertis comprobari posset: epistolam I quoque ad Tim. post priorem

captivitatem esse scriptam, tam manifestum esset, ut non haberemus, cur tam diu in sermonis et sententiarum similitudine et dissimilitudine disquirenda desudaremus. Nam epistolas et simillimas et dissimillimas eodem fere tempore scribi posse, et quidem a Paulo quoque, quum per se patet, tum partim ex epistola ad Ephesios cum literis ad Colossenses, partim ex eadem ep. ad Ephes. cum ep. ad Philippenses collatis vel ex ep. ad Romanos cum ep. II ad Corinthios. Praesertim si non de iisdem rebus neque ad eosdem, qui epistolas legant, scribitur: epistolarum diversitas non efficit, ut epistolas eodem tempore esse scriptas refellatur. Sed quibus tandem locis utitur Heydenreichius? Affert nonnullos, qui latissime patent, ut locos 1 Tim. VI, 3—5. 20. 21 coll. 2 Tim. II, 14; IV, 3. 4; — 2 Tim. II, 16. 23 coll. 1 Tim. I, 4; IV, 9, nullumque definitum rerum statum indicat, qui non diversissimis temporibus esse potuerit. Verborum autem ordo et nexus his omnibus in locis plane inter se discrepat, neque quicquam ad eandem temporis rationem constituendam nos adigit. In locis illis adeo non res ecclesiae Ephesinae propriae significantur, ut etiam in ep. ad Titum III, 9. similia occurrant. Talium autem rerum status, qui pluribus locis eodem tempore, diverso quoque tempore eodem loco esse potest.

Porro tantum abest, ut interpretes nobis diserta ejusdem temporis vestigia indicent, ut nos satis aperta diversi temporis indicia afferre possimus. Interpretes quidem alii locos illos ab Heydenreichio laudatos saepius propterea afferunt, ut omnibus tribus in epistolis falsos ejusdem generis magistros commemoratos esse probent. Quo argumento etiam ad idem, quo epistolae scriptae sint, tempus confirmandum utuntur, quasi fieri vix potuerit, ut per longum temporis spatium, quod inter singulas epistolas compositas intercessisset, eadem eorum corruptela durasset. Sed nos contra majus aliquod temporis intervallum aut certe diversa

tempora eo significata esse putamus, quod in I ep. nulli inducantur, qui resurrectionem mortuorum negaverint. Quos quidem ab Apostolo, etiamsi jam exstiterint eo tempore, quo priorem epistolam scripsit, non apertius descriptos fuisse, jam supra explicavimus. Sed quin leviter Ap. eos tetigisset, omnino non dubito. Nam Apostolum istius notae falsos doctores, *) majorem ecclesiae pestem, quam omnes

*) Nos quidem plerisque interpretibus adstipulantes, ut, quod ad nostram rem levius tantum attingit, obiter modo moneamus, illos falsos doctores hujusmodi fuisse putamus, qui ex Judaeis Christiani facti cum evangelio theosophicas et quasi gnosticas opiniones fabulasque conjungerent. Utrum Hymenaeus ille, qui 1 Tim. I, 20 et 2 Tim. II, 18 nominatur, idem, an utroque loco fuerit diversus quidam homo, non satis liquet. Sed etiamsi utroque loco idem indicatus esset: tamen e silentio illud conjici necesse esset, Hymeneaum tum temporis ἀνάστασιν nondum negasse, aut saltem persuasionem suam, quae ad hanc doctrinam spectat, nondum publice proposuisse. Denique persuadere mihi non possum, nostrae epistolae falso docentes plane ejusdem generis fuisse, atque illi, quorum unus in ep. ad Coloss. II, 9 vocatur: ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου καὶ οὐ κατὰ Χριστόν. Nam singulae, quibus in epistolis ad Tim. et ad Col. missis errores significantur, voces omnino inter se discrepant. Sane omnes ecclesiarum Asiaticarum corruptiones ex communi quodam theosophicae, quae toti orienti erat propria, doctrinae fonte manarunt; sed haec modo philosophiae et artis speciem prae se ferebat, modo magis ad communem hominum sensum se accommodabat. Ad illud genus perversa, qua Colossenses laborabant, doctrinae, ad hoc errores Ephesini referendi esse videntur. Quapropter, si fuerunt, qui in epistolis ad Col. et ad Tim. idem perperam docentium genus significatum esse statuentes, inde quod illae litterae ideoque falsa disciplina, quae in illis describitur, inferioris temporis essent, eidem nostram epistolam tribuendam esse efficere vellent, hi diversas duas, quae diversis locis erant, res sine idoneo et perspicuo argumento inter se conjungere videntur. Utramque enim corruptelam revera ex altera ecclesia in alteram neque in utraque ecclesia sine corruptoribus ex al-

omnes reliquos, qui nominantur, fuisse habiturum, et per se, et e 1 ad Corinth. ep. XV manifestum est. Denique quam multum intersit inter locos 1 Tim. IV, 1 et 2 Tim. III, 1, jam supra exposuimus.

Quae omnia quum ita sint, hoc saltem assecuti esse nobis videmur, ut epistolas *haud necessario* eidem tempori adscribendas esse pateat. Neque nobis nostro loco probandum sumsimus, fieri non *potuisse*, ut eodem tempore sint scriptae. Nam hoc nos arroganter facturos fuisse, jam saepius professi sumus. Ex altera parte, ne quid nimis concedamus, neque frustra neque temere, etiam illud contendisse nobis videmur (cf. sup. p. 118 sqq.), hanc temporis ad explicationem adhibendi rationem multa dubitatione et difficultate impediri. Unde *nobis* igitur epistolarum similitudo repetenda est? Reprobata una temporis ratione, nullos alios explicandi modos proponimus, quam qui nobis restant, ipsoque usu nobis probati sunt. Omnes difficultates ex eo, quod tam *argumentum*, de quo agebatur, idem, quam ii, *ad quos* Paulus scripsit, ejusdem generis viri fuerint, explicare *licet*, ac nisi quis rem non explicatam habere maluerit, hoc modo declaret *necesse est*. Quin etiam ii, qui epistolas aequales esse volunt, duabus iis, quas nos solas amplexi sumus, rationibus plurimum tribuere debent. Nam quum, ut supra diximus, Paulus itineribus illis, quibus Ephesum (eamque, ut ep. I. ad Tim. computetur, identidem

---

altera invectis existere potuisse, tantum abest, ut demonstrari possit, ut quomodo, qui in ecclesia Colossensi φιλοσοφίᾳ nimis tribuerunt, iidem γενεαλογίαις et μύθοις προσέχειν dici possint, vix satis appareat. Nam in multis nominibus, quae doctrinae corruptoribus in ep. ad Tim. tribuuntur, prae reliquis desideratur hoc ipsum φιλοσοφίας-verbum, quod rem ipsam luculentissime significasset, et ad Timotheum lectorem, utpote qui praeceptoris muneribus fungeretur, accommodatissimum fuisset.

tetigisse putandus est), Cretam (propter ep. ad Titum) et Romam (propter ep. II ad Tim.) deinceps petiturus fuisset, majus quoddam temporis spatium contrivisse habendus sit: nemo credet, eum propterea epistolas similiores conscripsisse, quia epistolas illas tantum anno aut biennio, aut triennio post I ad Tim. litteras composuerit, sed hoc ipsum afferet, quod de eadem re ad eundem aut similem lectorem miserit. Quid multa? quamquam ne longi essemus, rationes a nobis propositas non ad omnes difficultates solvendas adhibuimus, sed solummodo universam viam, qua fieri liceat, monstrantes, multa singula ad interpretes relegavimus: tamen, si quid explicari possit, id nostris explicandi modis, utcunque nosmet ipsi iis usi fuimus, efficiendum esse putamus.

Sed postquam tamdiu in epistolarum similitudine disquirenda aliorum refellendorum causa versati sumus, quaestionem, an ex tota hac epistolas Paulinas inter se comparandi ratione nihil ad nostrum usum convertere indeque annum undesexagesimum comprobare possimus, paucis adjiciamus. Quo quidem modo nihil prorsus confici et decerni, sed tantum id, quod alibi jam firmius constitutum esse videtur, aliquantulum stabiliri et sustentari, nostra sponte concedamus. Quod si minus faceremus: nobismet ipsis non constaremus, qui alius sententiae defensores de via depulissemus, in qua ipsi postea incederemus.

Sine ulla igitur injuria ad illud provocare posse nobis videmur, quod, si omnes epistolas Paulinas in duo genera diviserimus, ita ut alterum epistolas ante captivitatem Romanam, alterum in ea et post eam scriptas contineat, I ad Tim. epistola cum priore genere multo magis consentiat, quam cum posteriori. Ex priori genere eas epistolas solas adhibeamus, quae propius ad tempus, cui epistolam ad Tim. adsignavimus, accedunt. Illam epistolarum seriem intelligimus, quas Apostolus inde ab

anno LVI, iterum ad Ephesios reversus, usque ad iter Hierosolymitanum, anno LX institutum, composuit, epistolas quidem ad Galatas, I ad Corinth., II ad eosdem, et ep. ad Romanos. Quam aperte saepius nostrae litterae cum his epistolis et prae reliquis cum duabus ad Corinth., inter quas ipsas prior ad Tim. scripta esse nobis videtur, conveniant, hoc exemplis aliquot illustrare placet.

Vox epistolae ad Tim. Cap. I, v. 1 ἐπιταγὴ, cujus loco in reliquis epistolis διὰ θελήματος τοῦ θεοῦ (epistolae II quoque ad Timotheum salutandi formula haec est) ponitur, praeterea tantum occurrit 1 Cor. VII, 6. 25; 2 Cor. VIII, 1; Rom. XVI, 26; (Tit. I, 3; II, 15). — Cap. I, v. 18 = Rom. I, 29. — v. 11: εὐαγγέλιον τῆς δόξης = 2 Cor. IV, 4. — v. 13: ὑβριστής = Rom. I, 30. — v. 14: ὑπερεπλεόνασε ἡ χάρις = Rom. V, 20 ὑπερεπερίσσευσε ἡ χάρις. — v. 20: οὓς παρέδωκα τῷ σατανᾷ; quae quidem difficillima eadem et mira dicendi formula praeter nostrum locum modo 1 Cor. V, 5 legitur *). — Cap. II, 1; obedientiam erga magi-

*) Obiter alium quendam nostrae epistolae locum commemorare placet, qui non solum ad difficillima illa verba explicanda plurimum afferre, sed etiam novam quandam eamque miram epistolarum, in quibus verba leguntur, similitudinem ostendere videtur. Locum enim VI, 7—10 qui accuratius inspicit, fere non potest, quin τινὰς, qui ibi vocantur, pro iisdem habeat, quorum I, 20 fit mentio. Nam capite VI (εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ) inde a versu 3 ἑτεροδιδασκαλοῦντας iidem aut soli, aut una cum aliis indicantur, qui I, 20 commemorati sunt. Idem etiam eo probatur, quod locus I, 20 ad l. I, 4 respicit, et propter commune verbum: ἑτεροδιδασκαλεῖν l. VI, 3 etiam ad locum I, 4. Sin locus I, 20 ad l. VI, 3 respicit, ille cum l. VI, 7—10 quoque est comparandus, propterea quod P. ab exemplo nonnullorum, νομιζόντων, πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν versu 6 ad universam de φιλαργυρίᾳ expositionem transit, et v. 10 ad idem singulorum ἑτεροδιδασκαλούντων exemplum redit, quippe qui et ipsi lucri causa evangelium amplexi, fidem amiserint. Quodsi in utroque loco iidem τινὲς habendi sunt, et qui I, 20 τῷ σατανᾷ παραδεδόμενοι vocantur, iidem nostro loco ἑαυτοὺς περιπεῖραι dicuntur: hoc ipso quam maxime eo-

stratus, cujus inculcandae causa δεήσεις caett. praecipit Apostolus, in ep. ad. Rom. quoque, quam haud diu post annum LIX scriptam esse constat, Cap. XIII inculcat. — Verbum unde ἅπαξ λεγόμενον ἔντευξις derivandum est, bis in ep. ad. Rom. (VIII, 26. 34) et alibi nusquam legitur in scriptis Paulinis. — v. 6: εἷς θεός = Rom. III, 30; Gal. III, 20. — v. 7: ἀλήθειαν λέγω, οὐ ψεύδομαι Rom. IX, 1. — v. 9—15; multa quae hic feminis praecipiuntur, similibus verbis etiam in epp. ad Corinth. leguntur; v. 9 seq. = 1 Cor. XI, 5; — v. 11 = 1 Cor. XIV, 34; v. 13 sententia quadrat ad locum 1 Cor. XI, 8, forma ad. l. 2 Cor. XI, 3. — v. 9: ὡσαύτως vox epistolae nostrae tritissima (III, 8. 11; V, 25) praeter ep. ad Tim. II, 3. 6 — verbum autem, quod propter tritam quandam, quam exprimit, notionem, saepius occurrere debet, plus facit ad id quod volumus, comprobandum,

---

rum explicatio reprobatur, qui putent, homines istos a Paulo eo, quod satanae tradebantur, malis quibusdam corporeis esse affectos (εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς 1 Cor. V), quae non ex intima eorum vitiorum natura essent orta, sed ad pravitatem eorum coërcendam (ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν 1 Tim. I, 20) extrinsecus poenae instar addita. Nostro loco omnia ad propriam hominum voluntatem (οἱ βουλόμενοι ἐμπίπτουσι) referuntur, et quamquam satanas hic quoque in insidiis quasi subsistens e longinquo conspicitur, (nam πάγις illa v. 9 ad διάβολον respicit 1 Tim. III, 9; 2 Tim. II, 26) : tamen in ipsorum hominum ἐπιθυμίαις ἀνοήταις βλαβεραῖς omnis ὀλέθρου καὶ ἀπωλείας causa et culpa fuisse declaratur. Quae iis tribui non posset, si P. per διάβολον aliquid effecisset ad mala eorum augenda. Verba quidem illa εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς etiam nostro loco haud plane explicantur. Attamen similes dicendi formulae, quae et ipsae a vocabulis ad res corporeas spectantibus repetitae sunt (περιέπειραν ὀδύναις πολλαῖς), nostro loco occurrunt. Itaque ea interpretatio maxime commendatur, quae Paulum homines istos ex ecclesia ejectos poenitentia ad meliorem frugem reducturum fuisse statuit. Nostro enim loco omnia verba magis ad animum emendandum, quam ad corpus morbis cruciandum spectant. Memorabile denique est, Paulum nostro loco in his rebus fusius (p. 6—10) exponendis quasi ac-

quam quod propter suammet ipsius naturam rarius modo exspectari potest — solummodo 1 Cor. XI, 25, Rom. VIII, 26 legitur. — Cap. III eam epistolae partem continet, quae maxime cum ep. ad. Tim. consentit; quae quidem quando scripta sit, quamvis definite constituere non audeam: tamen in universum iis interpretibus calculum adjicio, qui eam ante captivitatem Romanam esse scriptam defendunt. — Cap. IV, 1—5 tota argumentatio similis est locis Rom. XIV; 1 Cor. X, 27 sqq. — Cap. V, 12; verbum ἀθετεῖν in epp. commemoratis saepius exstat, neque in posterioris temporis epp. usquam legitur; Gal. III, 15; II, 21; 1 Cor. I, 19; (1 Thess. IV, 8) — v. 14. ἀφορμὴ nonnisi Rom. VII, 8. 11; 2 Cor. V, 12; XI, 12; Gal. V, 13 occurrit. — v. 18: Βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις 1 Cor. IX, 9. — v. 19: ἐκτὸς εἰ μὴ praeter 1 Cor. XIV, 5; XV, 2 (27) hoc sensu non occurrit. —

---

quievisse. Quod et ipsum quodammodo tempus, quod constituimus, confirmat. Nam in ipsa Macedonia, ubi Paulum epistolam nostram scribentem nobis finximus, quum per Titum, magna poenitentia et moerore hominem illum incestum (1 Cor. V; 2 Cor. II, 5 sqq.), qui satanae a Paulo traditus erat, afflictum esse certior factus, timeret, μήπως τῇ περισσοτέρῃ λύπῃ καταποθῇ (quae imago ipsa nostri loci verba βυθίζουσι etc. attingit), Paulum saepius penitus de his rebus secum reputasse, probabile est. Qui quidem epistolarum consensus eo minus flocci pendendus est, quod in reliquis epistolis nullum hujus formulae vestigium deprehenditur, et quod in rebus Corinthiis nuper expertus erat, in nostra quasi adhibitum videmus. Omnia enim vocabula in nostra epistola obvia rem levius attingunt, quam in epistola ad Corinthios. Quid? quod inde, quod in posterioris aevi epistolis hic dicendi usus haud amplius legitur, evinci videtur, Paulum postea duriorem illam formulam, quae saepius secus intelligi posset, prorsus rejecisse. Quo enim modo, nisi hoc, explicari possit, cur Paulus, quem quam justissimum nobis fingamus necesse est, ad corruptos illos homines in epistolis ad Coloss., Philipp., 2 Tim. saepissime obvios, quamquam non melioris notae homines increpat (Phil. III, 18), tamen illud: παρέδωκα αὐτοὺς τῷ σατανᾷ nusquam usurpaverit?

Cap. VI versus primus procul fere dubio ad locum Jesaiae LII, 5, qui et idem Rom. II, 24 laudatur, respicit. — v. 6: αὐταρκεία = 2 Cor. IX, 8. — v. 16: ἀθανασία = 1 Cor. XV, 53. — v. 17: ὑψηλοφρονεῖν = Rom. XI, 20; XII, 10. — v. 19: ἀποθησαυρίζειν est ἅπαξ λεγόμενον; sed verbum simplex θησαυρίζειν 1 Cor. XVI, 2; 2 Cor. II, 14; Rom. II, 5 et alibi nusquam legitur.

Jam finem faceremus, nisi supra (cf. p. 75) nonnullas rationes, quas ex historico genere depromserunt interpretes, ut anno LIX epistolam scriptam esse refellerent, ad hunc locum differe constituissemus. Nam nostro loco tota controversia proposita, melius perpendetur, et quid sibi velint quantumque habeant momenti ea, quae opponuntur, facilius aestimabitur. Quare quae argumenta attulerint VV. DD., deinceps audiamus.

1) Wegscheiderus quidem si pag. 39 (cf. Heidenreichium, pag. 45) putat, ob ordinatum, qui in epistola descriptus sit, ecclesiae statum anno potius LXV, quam LIX litteras nostras esse assignandas, ut comprobet hoc argumentum, aliquid afferre merito jubetur, quo post annum demum LIX conditum esse demonstrari possit. At in novorum institutorum vestigia in epistola non incidimus; sed profecto, quae P. usque ad illud tempus, in quapiam ecclesia constituerat, ea tantum abest, ut Ephesi urbe tam ubere evangelii fructu ornata, in qua III annos egit, omisisse censeri possit, ut, si quid in ecclesia Ephesina reperiremus, quod in alia inveniretur nulla, non haberemus, quod admodum miraremur. Quid? si quae singula extra epistolam nostram non occurrunt, nonne haec apte pro singulis legibus habentur, sine quibus, sive eaedem, sive earum similes alibi fuerint, universa illa instituta esse non potuerint? Exemplum proferre placet: lex exstat de alendis et sustentandis viduis; neque aliter

cogitari potest, quam in unaquaque ecclesia, in qua talia instituta obtinebant, primo consensum quendam usu increbruisse, tum disertas leges dictas esse, quando mulieri viduae auxilii petendi jus et fas esset. Immo vero illo tempore, quo prima viduarum alendarum est mentio (Act. VI, 1), certus quidam hujus rei administrandae mos invaluisse videtur. Nam si Hierosolymis, unde hoc institutum profectum erat, omnibus viduis beneficia petentibus sine discrimine victus subsidia data essent: non fuisset ille γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους. Quare ut omnem hanc institutionem una cum universa disciplina ecclesiastica a Judaeis, apud quos jamdudum diaconorum munus ad beneficia distribuenda administrabatur, ad Christianos pervenisse probabile est: ita quoque a Christianis Judaeorum in his rebus usum servatum fuisse existimem. Christiani autem initio quamquam rem, tamen non ejus formam receperant. Neque enim erat, cur amor et concordia primorum ecclesiae temporum legibus circumscriberetur, neque cur aequi et justi viri crearentur, propterea, quod Christiano animo ducti, qui sponte haec munera susciperent, se offerebant, omnesque cum beneficiorum administratione erant contenti. Quum autem postea aut iniquiores homines distributione fungerentur, aut viduae hellenisticae nimia petentes cum aequa administratione non contentae essent: tum demum, ut viros probatos διακόνους esse creatos constat, ita, quo semper omne arbitrium et partium studium procul haberetur, leges quoque, quibus tota res in certam formam redigeretur, statutas aut ab hoc tempore tacito servatas esse, probabile est. Fortassis igitur ipsas leges Hierosolymitanas, quae in tota ecclesia in summa auctoritate erant, in epistola nostra primum litteris produntur, aut accuratius definiuntur.

2) Porro inde, quod in oratione Milesia, in qua πρεσβύτεροι saepissime commemorantur, διακόνων non facta sit mentio, justo audacius colligitur, eos Ephesi nondum fuisse creatos. Nam si

ecclesiae Hierosolymitanae haud diu post originem διακόνοις opus erat: quin ecclesiae quoque Ephesinae per III annos valde auctae, qui beneficia tribuenda aegrotosque fovendos curarent, praeficiendi fuerint, quis est, qui dubitaverit? Quodsi Heydenreichius etiam (p. 45) eo offenditur, quod in Actis Cap. XX soli presbyteri nominentur: nisi forte plures hujus silentii causae cogitari possint, quam ut aliquis, una proposita, se in rectam ipsam et veram incidisse opinari possit, facillime respondetur, a Paulo solos presbyteros convocatos esse, διακόνους autem fortasse propterea remansisse, ut absentibus presbyteris ecclesiam docerent atque custodirent.

3) Insuper Eichornius (pag. 397) epistolae non modo post annum LIX, sed post universam vitam Paulinam scriptae indicium esse judicat, quod in ea unus tantum episcopus (III, 2: Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι) commemoratur. Sed hunc in temporis inferioris ecclesia presbyteris praefuisse, ex ipsa epistola deduci non potest. Ut alias in N. T., sic et hic episcoporum et presbyterorum nomina promiscue usurpantur. Ea enim, quae antea v. 1 in numero singulari (Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται) memorantur, adduxerunt Paulnm, ut praecepta pluribus presbyteris tradenda in unum conferret. Quae quidem grammatica ratio sola ad hunc locum posterioris aevi ecclesiastici speciem et suspicionem attulit. Neque fuisse superius munus ecclesiasticum, quam ordinem presbyterorum sive episcoporum, inde perspicue patet, quod praeceptis ad episcopum spectantibus proxime subjuncta sunt ea, quae ad diaconos pertinent. Igitur si ea, quae v. 1—7 dicuntur, non ad omnes presbyteros inter se pares valerent, epistola nulla contineret praecepta ad presbyteros referenda; quae quidem omissa esse prorsus non est credibile.

4) Neque cum Wegscheidero miror, quod in epistola, ne νεόφυτοι creentur ἐπίσκοποι, praeceptum sit. Nam etiamsi epistola anno LIX scripta sit: magnum jam Christianae cognitionis et facult-

tis ad κυβέρνησιν discrimen intercedere necesse erat inter eos, qui nuper et qui ante tres vel duos annos fidelium numero erant adscripti.

5) Una res sola est etiam a Wegscheidero p. 39 memorata, quam priori tempore fuisse demonstrari non potest, deprecationes dico pro magistratibus: sed quis crediderit, Paulum, qui obedientiam erga magistratus praestandam veluti sanctissimam virtutem Christianorum animis (Rom. XIII) inculcabat, ecclesias suas usquam non hortatum esse, ut pro salute eorum, qui sibi praefecti essent, Deum precibus adirent, et quamquam a paganis magistratibus vexati, tamen nunquam obedientiam recusarent, sed ut vitae integritate ita morum facilitate et se et evangelium adversariis commendarent? Num contra verisimilius est, Apostolo, qui in epistola, quam primam scripsit, 1 Thess. V, 17 ἀδιαλείπτως, inquit, προσεύχεσθε, ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε, tam sero in mentem venisse, praesidia a magistratibus accepta satis digna esse, de quibus Deo gratia referretur?

6) Denique annum LIX constituentibus saepius opponebatur, in hoc tempore nullam idoneam causam inveniri, cur Ap. epistolam composuerit. Quare de rebus, quibus P. ad scribendum commotus sit, disserentes, occasione oblata, simul finitimam de scriptoris consilio materiam tractabimus. Sunt igitur, qui objiciant, quid sit, quod P., utpote qui, antequam a. LIX discederet, tres annos inter Ephesios versatus fuerit, non praesens, antequam Epheso abiret, ea, quae in epistola leguntur, Timotheo et ipsi praesenti praeceperit. Alii et prae reliquis epistolae adversarii etiam illud mirantur, cur tandem Ap. Timotheo tantae virtutis praeceptori tam perspicua mandata copiosius exposuerit, et qua de causa omnino, quae ipse Tim. non ignoraret, conscripserit. Sed si, quod fuerit inter Paulum et Timotheum necessitudinis vinculum, ante oculos habuerimus: nulla re offendemur

Supra jam (p. 8) improbabile duximus, ab Apostolo praesenti unquam cuiquam disciplinam ecclesiasticam omnesque quae ad eam pertinebant leges esse traditas. Nam perversa, quae emendanda erant, potius abolebat et facto meliora instituebat, quam multa verba faciebat. Haec quidem, quae proposui, per se in muneris, cui praesens operam navabat, natura posita esse mihi videntur. Quapropter etiamsi Timotheus Paulo res Ephesinas condenti semper affuisset — quanquam non semper affuit, sed ad Macedones et Corinthios missus erat — omniaque praecepta singula accepisset, tamen minime supervacaneum erat, mandata litteris comprehendi. Praeterea facile intelligitur, eandem fere rationem inter Timotheum et Paulum fuisse, atque inter filium et patrem, qui admonitionem non utique ea lege instituit, ut, an similia jam semel praeceperit, secum reputet, sed pro rebus, in quibus filius nunc ipsum versatur, eadem saepius repetere haud anxie evitat. Atqui P., in Macedonia (et ni fallor Philippis cf. p. 58) versans, Ephesi tunc adhuc temporis perperam doceri, e statu rerum, quem Epheso discedens reliquerat, conjecit, falsosque magistros Apostoli praesentis auctoritate non cohibitos in dies magis invalescere, fortasse a Christianis Ephesiis Philippos advectis compertum habuit. Quam quidem rationem adhibere, a veri specie prorsus non abhorret. Nam quam arcto vinculo ecclesiae Apostolicae inter se conjunctae fuerint, etiam inde patet, quod P. Ephesi commorans de plerisque Corinthiorum rebus rumore erat certior factus. Conjunctionem autem Pauli cum ecclesiis ab ipso conditis majore inter Philippos et Ephesum spatio fuisse sublatam, qui putarit, eum monemus, Paulum vel Romae captivum ab ecclesiarum legatis visitatum esse.

Paulus igitur de Ephesiorum rebus sive ipsius cum illis, quae fuerat, consuetudine edoctus, sive nuntiis certior factus (cf. supra pag. 77), Timotheum, ut acriter falso docentibus resistere pergeret, admonendum esse censuit, et

qua ratione id optime assecuturus esset, addere voluit. Qui quidem epistolae finis si constituitur, non est, cur concedamus (Schl. p. 152), in epistola nullum prorsus certum rerum statum respici. Sed omnia uno cardine vertuntur. Omnia singula praecepta ad falso docentes referuntur, quos optime ita coërceri et opprimi putavit, ut ab illis, qui fidem puram servassent, severa quaedam disciplina ad totam vitam adhiberetur moresque integri restituerentur. Quare profecto e rerum ecclesiasticarum conditione et ipsius falsae doctrinae ratione causae repeti possunt, cur Ap. haec illave praecepta dederit. Sic Paulus praecipiendi initium faciens Cap. II, δεήσεις, id quod jam annotavimus, haud nunc primo, sed denuo commendat, quia falsorum praeceptorum culpa, qui congregati non precibus pietatem adjuvantibus, sed vanis quaestionibus operam dabant (1 Tim. I, 3 queritur, quod eorum doctrinae ζητήσεις μᾶλλον ἢ οἰκονομίαν τοῦ θεοῦ τὴν ἐν πίστει παρέχωσι), neglectae aut depravatae erant. Quin etiam (siquidem licet, uniuscujusque praecepti causam ex praesenti ipsius ecclesiae Ephesinae conditione excutere), cur P. diserte pro omnibus hominibus preces haberi jusserit, id fortasse inde explicatur, quod ad corruptores Judaizantes respexerit. Neque temere deprecationem pro magistratibus prae reliquis in memoriam revocat. Falsi enim doctores quum prava vita nomini Christiano ignominiam pararent (βλασφημεῖν I, 20, quo ipso vocabulo commotus, ad praecepta Cap. II transit) atque in leges civiles quoque inobedientes, et sibimet ipsis, et Christianis universis paganorum magistratuum odium et persecutionem conflarent: reliqui bonae indolis Christiani προςευχαῖς caett. confirmati, vitam quietam et tranquillam agere jubentur (ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν). Porro sequuntur aliquot praecepta de feminarum cultu, et obedientia erga maritos, quae et ipsae, si l. 2 Tim. III, 6 (quae quidem epistola, quamvis inferiori, nostra priori tempori assignanda sit: tamen id satis com-

probat, quod per se verisimile est, Apostolici aevi corruptores *) maxime studuisse, ut feminarum gratiam sibi conciliarent) comparaverimus, ad falso docentes referri possunt. Praecepta, quae ad episcopos et diaconos pertinent, eo explicantur, quod inter hos ipsos fuerint, qui falsae doctrinae contagione infecti essent; quum enim essent, qui nondum aperte perversam doctrinam sequerentur, διάκονοι μὴ δίλογοι εἶναι jubentur. Sin contra praeceptores ad jus vocandi, habitoque judicio, sine ira et partium studio (V, 2) de loco essent movendi: eorum loco tum viros iis virtutibus instructos, quae III, 1 enumerantur, creandos esse. Simili ratione reliqua omnia plus minusve ad falsos magistros spectant, et diserta quoque verba tam saepe ad eos redeunt (praeter I, 3; I, 6. 20; IV, 1. 7; Cap. VI), ut non possit dubitari, quin in his impugnandis rei cardo positus sit.

Ut pauca etiam addamus de forma, qua haec singula praecepta proponuntur, non est, quod in epistola propter abruptius dicendi genus valde accusetur. Primum enim saepius, ubi interpretes quidam de perpetuo verborum tenore desperant, qui locum accuratius excusserit, interiorem quendam atque minus exspectatum sententiarum connexum animadvertet. Deinde in ipsius materiae natura positum est, singula minus arcte inter se conjungi. Porro maxime in nostram epistolam cadit, quod homini amicissimo est scripta, quippe cui liberius et minus anxie se praebere soleat amicus. Ad quam quidem causam non possunt provocare, qui Timotheo epistolam ecclesiae ostendendam fuisse, ut ipsius auctoritas agnosceretur, putant (Heinrichs. p. 17 et fere omnes interpretes **)). Nos quidem, cur hoc nege-

*) Eos, qui ex Judaeis proselytorum comparandorum studio vacabant, hanc rationem secutos esse constat.

**) Locus, quo a Paulo omnes Ephesios simul admonitos esse probare volunt, IV, 12 μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω, facile expediri potest. Non enim vertendum esse puto: nemo te contemnat, ita ut Paulus contemtores

mus, disertam quandam causam inde elicere possumus, quod in salutatione fini adjecto ἡ χάρις μετὰ σου legitur. Haec propria quaedam nostrae epistolae solius ratio est; siquidem in duabus reliquis pastoralibus, atque adeo in litteris ad Philemonem verba ἡ χάρις μεθ᾽ ὑμῶν leguntur. Quum igitur in nostram epistolam nomen litterarum ad hominem privatum scriptarum adeo cadat, quam in nullam aliam: in ea neglectior quidam scribendi modus facilius excusatur, quam in ulla alia epistola. Denique illud ne praetereamus, epistolam si anno LIX, id quod posuimus, conscriptam esse constituitur, inter μαχὰς et φόβους esse compositam, ideoque ejus scriptionem saepius interrumpi potuisse. Quae quidem intima et peculiaris epistolae indoles optime respondet ad Apostoli Epheso in Macedoniam proficiscentis conditionem, adeo ut non sit, cur interpretes ab usitatissimo hoc temporis definiendi modo recedant.

Quae quum ita sese habeant, quamquam iis, quae modo antecedunt, et omnibus, quae attulimus, sententiam nostram confirmasse, neque gravius et luculentius quidquam omisisse nobis videmur: tamen non omnes difficultates esse diremtas, nosmet ipsos non fugit. Sed omnia, quae ad hanc gravissimam rem pertinent, neque ulla ratione jam sublata esse, neque unquam prorsus sublatum iri unusquisque concedet. Omnium, quas attulimus, sententiarum — id quod, iis cognitis, jam majore cum jure judicare licet et quod nullo modo negare volumus — unam illam solam, quae ad tempora Apostoli liberati provocat, cum nostra comparare

---

inter Ephesios allocutus sit, sed: nemo habeat, cur te contemnat. Quae quidem ipsa interpretatio multo melius ad admonitionem oppositam: ἀλλὰ τύπος γίνου τῶν πιστῶν quadrat. Nam quamvis ipse perfectississimus τύπος γενόμενος, nullo modo impediri potuit, quominus a malevolis aut obcaecatis hominibus contemneretur; sane id assecutus erat, ut cur eum contemneret nemo haberet.

operae pretium est. Contra quam si disputationis nostrae rationes ducimus, hoc effecisse nobis videmur: neque nostrum definiendi modum tam impeditum esse, ut eum derelinquere necesse sit, et illum propriis quibusdam scrupulis, qui in nostrum non cadunt, offendi, difficultates autem, quae utramque sententiam premunt, a nobis partim haud difficilius, partim facilius etiam explicari. Sin ad nostram sententiam per se spectaverimus, id saltem nos assecutos esse existimamus, ut tempus aliquod extricaverimus, quo scribi potuerit nostra epistola. Quo quidem certius quidquam et accuratius quum in nullis fere quaestionibus, quae ad libros sacros computandos pertinent, comprobari possit: hoc effecisse in nostra etiam re contenti esse debemus, satisque inde confidere possumus, epistolam ab eo, quem ipsa sibi vindicat auctore, vere esse conscriptam.

Excursus

de loco Act. App. Cap. XX, v. 4—6 ad paginam 89.

Quicunque hunc locum inspexerit, mirabitur, quod hic Paulum tanta comitum corona stipatum invenerit, quanta alias nusquam in Actis Apostolorum. Jam inde igitur probabile est, praecipuam aliquam fuisse causam, cur Lucas eos nostro loco commemoraverit. Praeterea si ante oculos habemus, Apostolum tum temporis Hierosolymitanis beneficia in ecclesiis collecta afferre et propterea earum legatos secum ducere voluisse (1 Corinth. XVI, 1 sqq.), hos quidem ipsos nostro loco nominatos esse, optimo jure exspectamus. Denique si addimus, Trophimum et Aristarchum una cum Apostolo Hierosolyma profectos necessario habendos esse (Act. XXI, 29; XXVII, 2): nisi maximae in scribendo negligentiae Lucas accusetur, omnes qui medii inter eorum nomina leguntur, iter cum Apostolo confecisse putandi sunt; quae quidem sententia per se aptissima certo ab unoquoque accepta esset, nisi difficillimis verbis: ἄχρι τῆς Ἀσίας impedita esset. Quomodo igitur explicatur, socios in Asia quamvis eos ulterius profectos esse negari non possit, tamen (ἄχρι τῆς Ἀσίας) relictos dici? Hoc quantum fieri

possit, explicaturi maximam operam dare debemus, ut, qui fuerint v. 5 οὗτοι et v. 6. ἡμεῖς, ostendamus.

Interpretes vulgo verbis ἄχρι τῆς Ἀσίας comitandi finem indicatum esse statuunt, sed statim Aristarchi et Trophimi memores caute adjiciunt, vocem ἄχρι sensum, qui in ea proprie insit, non habere, neque ad omnes, qui hoc loco nominantur, pertinere. Itaque Grotius explicat: quosdam et ultra profectos esse: nam ἄχρι non excludere ulteriora. Qua quidem ratione VV. DD. plerique ita locum nostrum interpretantur, ut, voci ἄχρι significationem quandam latiorem vel etiam laxiorem et negligentiorem subjicientes, eos solos Hierosolyma profectos esse statuere velint, quos ipse scriptor postea disertis verbis ibi versantes induxerit. Verbo porro ἡμεῖς v. 6. nullos praeter Lucam (qui, subito primam numeri pluralis personam adhibens, hic, ut Act. XVI, 11, significaverit, se itineris fuisse socium) et Paulum comprehendi censent. Quapropter vocem οὗτοι ad omnes, qui antea nominantur, referunt, omnesque ab eodem loco, quo Ap. ipse proficiscebatur, Philippis quidem navi praevectos esse putant. Quodsi quaerimus, quo sensu his interpretibus nomen Ἀσίας sit explicandum, vix est, quod commemoremus, eorum neminem recentioris temporis usum, quo Asia totam orbis terrarum partem significat, ad locum nostrum explicandum attulisse. Quem quidem verbi sensum sicut ab omnibus quum aevi antiqui, tum N. T. scriptoribus prorsus exulare constat: ita omnes hujus loci difficultates earumque dirimendarum pericula in hoc posita sunt, quod latissimae, qua hodierni temporis homines Asiam dicunt, significationis ratio non sit habenda. Quod si fieri liceret: quis id, quod probare volumus, negare posset, omnes comites Hierosolyma esse profectos, siquidem voce Ἀσία totam terrae partem indicante Palaestina quoque contineretur, neque facile quisquam operam dare vellet, ut alium verbi sensum propter

Tro-

Trophimi et Aristarchi iter, alium reliquorum causa erueret.

Sed ne latissimo quidem sensu, quo veteres nomen Asiae, quae dicitur, minori indunt, ab illis interpretibus vocem Ἀσίας intelligi posse, facile demonstratur. Nam nisi interpretes latiorem vocabuli ἄχρι significationem ad reliquos etiam praeter duos illos comites adhibere vellent (id quod volunt), jam Troade prima Asiae minoris urbe, quam comites tetigerunt, itineris finem assecuti essent. Sin autem Troade ii, qui sine Apostolo huc profecti erant, aut omnes aut nonnulli tantum, jam subsistere voluerunt: cur tandem itineris maritimi molestiam susceperunt? Qua de causa solos eos praevectos esse, conjiciemus? Ex nulla alia causa, quam ut una cum Paulo iter continuarent. Itaque, ut, cur ἔμενον Apostolum Troade, explicetur, interpretes illi Ioniam vel Asiam proconsularem *) intelligere debent. Quem quidem terrae tractum quum P. primum Miletum appellens tangeret, hoc ipso loco (ἄχρι τῆς Ἀσίας) socii illi ab Apostolo, qui discedens a sociorum parte Hierosolymitanum iter conficeret, essent relicti. Sed quid tandem suspicabimur, cur tot Apostoli comites Mileti subsistere voluerint? Sunt quidem, qui putent, ecclesias propterea tantum Apostolo comites addere consuevisse, quo eum veneratione prosequerentur. Quod qui sibi probaverit: causam saltem invenerit, sive potius non habuerit, cur causam circumspiciat, de qua Mileti comitandi finis sit factus. Nam satis magno hoc a Macedonia usque ad Miletum itinere solius honoris causa suscepto: quid mirum, si quo loco dis-

---

*) Asia proconsularis plures, quam Ioniam complectebatur terras, Mysiam, Lydiam, Cariam et Phrygiam; quae quidem regiones, quum prius provinciae praetoriae nomen haberent: ab Augusto proconsuli subditae sunt. Cf. Mannerti Geographiam Tom. VI. vol. 2. p. 25.

céditur? Sed talis quidem Apostolici aevi mos nullis aliis Actorum locis comprobatur (nam loci quales Act. XVII, 15; XXI, 5; XXVIII, 13, quum Paulum propter pericula aliquot itineris socios habuisse, aut ei obviam ventum esse, narrent, non sunt commemorandi), neque omnino ad simplicem illius temporis indolem satis quadrat. Neque magis probabile est, solo amore ductos eos Apostolum esse secutos, ut Apostoli carissimi consuetudine, quam diutissime fieri posset, fruerentur. Quod si comitandi consilium fuisset, praesertim quum Mileti itineris finis instaret, non bis segregati ab Apostolo (XX, 6. 13) profecti essent. Potius omnes, qui Apostolum sequebantur, certis et necessariis muneribus functi, aut evangelium una cum eo propagasse (συνεργοί) aut ipsi in ἀποστολῇ gravia quaedam officia (διάκονοι — ὑπηρέται Act. XIII, 5) praestitisse videntur. Neque verisimile est, licet ecclesiae Apostolum tanto honore sane libenter afficere voluissent, Paulum eum accepisse et concessisse, ut ecclesiae, quae ipsae pauperes tam liberaliter beneficia Hierosolymitana conjecerant (2 Corinth. VIII), praeterea novos sumtus in comitum iter subornandum idque solius honoris causa instituendum impenderent, et sine necessitate tot praeclaris viris, qui alio modo maximam utilitatem evangelio afferre poterant, privarentur. Itaque si comites solummodo usque ad Miletum profecti essent, equidem aptam comitatus nullam invenio causam. At dixerit aliquis: eos Mileto Ephesum migrare voluisse, ideoque non sine idonea causa tot comites in Apostoli societate inveniri, sed quo aut sua ipsorum negotia, aut, quum eos praeceptores fuisse fere constaret, suarum ecclesiarum mandata exsequerentur. Sed nonne Lucas, Thessalonicenses peregrinarum et remotarum ecclesiarum cives Mileti aut alibi a Paulo discessisse annotasset? pariter, ac nunquam fere de aliis aliorum itinerum comitibus v. c. Marco (Act. XIII, 13) Sila et Timotheo (Act. XVII, 14) Aquila et Priscilla (Act.

XVIII, 19), quo loco se ab Apostolo segregaverint, narrare omittit? Quid multa? interpretatio vulgaris totum locum obscurum et non explicatum relinquere videtur.

Quare aliam explicandi rationem adhibentes, id probandum nobis sumimus, Lucam verbis *ἄχρι τῆς Ἀσίας* minime, quo loco omnes aut plures comites substiterint, indicare voluisse, sed modo, qua ratione itineris pars confecta sit. Explicatio illa usitata, quam proposuimus, Asiam proconsularem propter verborum tantum difficultatem intelligit, neque ullo, quo ex ipso verborum nexu comprobetur, argumento adjuvatur. Versus enim 15 et 16 a v. 4 longius distant, quam ut argumenti instar huc referri possint. Quocirca qui, quid verbum *Ἀσίας* sibi velit, e proximis vocabulis depromere potuerit, bonis critices legibus jam propterea melius commendabitur. Itaque quum v. 5 *Τρωάδα* Asiae minoris urbem legamus, Asiam minorem esse constituimus, *ἄχρι ἧς συνείποντο* Paulo ii, ad quos haec verba pertinent. Causa quoque, cur non statim *Τρωάδος* urbis nomen sit prolatum, sed terrae, inde petenda est, quod Lucas versu antecedente (3) terrae nomine (*Μακεδονίας*) usus est. Sicut enim Asiam terram *Τρωάδος* urbis nomine accuratius definit: ita Macedoniae quoque urbem Philippos illi Asiaticae opponit. Sed qui sunt *οὗτοι* illi? Quod verbum ad omnes, qui vocantur, viros referentes, si *ἄχρι* comitandi finem indicaret, nos absurdi quid propposituros esse jam vidimus, siquidem iidem, qui usque ad Troadem soli praevecti (v. 5), ibidem eum exspectasse dicuntur, usque ad hunc etiam locum una cum Apostolo (*συνείπετο*) profecti fuisse putandi essent. Possitne igitur fieri, ut, quo omnia inepta evitemus, comites illi in diversa genera distribuantur?

Qua lege hanc distributionem instituemus? Sermo est de itinere Apostoli per Macedoniam facto. Itaque sane elucet, non esse omittendum, quod nostro loco etiam Macedonici comites vocantur. Qui quum primi enumerentur, verbum *συνείπεσθαι*, quod sin-

gulari numero legitur, ad eorum primum solum necessario, ad reliquos eo certius, quo minus procul disjungantur a voce illa, esse referendum, per se patet. Sed unde hi Apostolo συνείποντο? Legimus in epistola altera ad Cor. (IX, 4), Apostolum in Macedonia, Corinthum profecturum, aliquot socios secum ducere voluisse. Itaque tres illi Macedones nostro loco memorati si hi ipsi fuisse putari possent, non alienum esset statuere, eosdem nunc Apostolum Corintho per Macedoniam esse comitatos. Sed sive iidem fuerunt, antea vero Corintho in patriam reversi, sive nostri Pauli comites alii fuerunt atque illi: certe Macedones eos, quorum in Act. fit mentio, non jam Corintho Apostoli fuisse comites, sed eos fuisse arcessendos, satis fere probare licet. Nam animadvertendum est, Macedonum nomina et urbes patrias, quae adjiciuntur, a Luca eodem ipso ordine proferri, quo Paulus, si itinere terrestri Corintho Philippos tendebat, singulas Macedoniae urbes perlustraturus erat. Primum nominatur Sopatrus Beroeensis, deinde Aristarchus et Secundus Thessalonicenses, denique Lucas (v. 6), qui inde a priori tempore Philippis commoratus esse videtur. E quo quidem apto consensu ut confirmatur, id quod per se verisimile est, Apostolum itinere terrestri Macedoniam repetiisse: ita certius fere conjicere licet, primum, comites Macedonios pro urbium situ deinceps ab Apostolo esse abductos; deinde, Apostolum hanc ipsam ob causam, ut hos secum duceret, iter Hierosolymitanum per Macedoniam instituisse (cf. p. 79). Fortasse tribus illis et Lucae ipsi (qui vix idem habendus est cum Lucio, l. l. Rom. XVI, 21 et Act. XIII, 1 commemorato, qui jam Corinthi apud Apostolum erat), mandatum erat, ut, dum Ap. ipse Corinthi versaretur, pecunias Macedonicas colligere pergerent. Apostolum decedentem e Macedonia iis praecepisse facillime conjicitur, ut ad diem dictam Corinthum beneficia collata afferentes deinde itineris Hierosolymitani comites essent. Paulus autem, quum ante tempus statutum ἐπιβουλῇ τῶν

Ἰουδαίων Corintho migrare coactus esset (quae quidem expulsio per Judaeos Corinthios longe alia est habenda, atque Ephesina illa, quam supra nobis persuadere non potuimus), in Macedoniam proficisci, sibi proposuit, cujus legatos una cum pecuniis conjectis arcesseret. Quare quum Secundus postremo inter Macedonios loco nominetur, statui possit, post hujus nomen reliqua non ad verbum συνείπετο, sed ad enuntiationem, quae negligentius addita sit: οὗτοι προελθόντες ἔμενον ἡμᾶς ἐν Τρωάδι esse referenda. Sed hoc quidem loco propter copulam καὶ vix apte disjungitur. Praeterea Gajum *) et Timotheum (qui quidem non solum Paulo, sed etiam Macedonibus familiarissimus erat), una cum illo, qui alioquin, nullo eorum, qui nostro loco nominantur, comite, Corintho discessisset, Macedoniam revisisse, perquam probabile est. Sed Tychicus et Trophimus particula δὲ satis distincte a reliquis segregantur, adeo ut hi soli Corintho Troadem praevecti esse nobis videantur. Aptissima quo-

---

*) Quin etiam fieri possit, ut Gajus quoque Macedo habendus sit. Quum enim in eo aliquantum haereamus, quod Timothei solius patria non sit commemorata, et Act. XIX, 29 Gajus quidam Macedo dicatur: fortasse quispiam assentiatur Valckenario (cf. Kuinoelii Comment. ad Act. p. 664) conjicienti, particulam καὶ inter verba Δερβαῖος et Τιμόθεος librariorum vitio pro voce δὲ irrepsisse (hanc quidem esse lectionem genuinam et rectam verborum interpunctionem: καὶ Σεκοῦνδος καὶ Γάϊος· Δερβαῖος δὲ Τιμόθεος caett.), ita ut Timotheus solus Derben habuisse patriam diceretur, Gajus contra Thessalonicensibus, de quibus antea sermo est, annumeraretur. Quam quidem conjecturam si amplecterer: Timotheum quoque a Macedonibus segregarem et ad eum quoque verba: οὗτοι caett. referrem.; Sed hujusmodi emendationi diffidentibus melius nobis probatur, duos hujus tritissimi nominis fuisse viros, alterum Gajum Macedonem, alterum Derbaeum. Gajum autem sive erat Thessalonicensis, sive Derbaeus, jam Corinthi apud Paulum fuisse inde maxime probatur, quod Γάϊος ille, qui Rom. XVI, 23, ὁ ξένος Παύλου (μου) καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης vocatur, idem cum nostro fuisse videtur.

que, cur Apostolus hos Corintho in Macedoniam secum ducere noluerit, ea est causa, quod, quum Gajum et Timotheum (quem apud Apostolum Corinthi fuisse, loco Rom. XVI, 21 confirmatur) ad officia ipsi inter viam praestanda suffecisse probabile sit, tantus comitatus Apostolum celeriter per Macedoniam redeuntem nihil adjuverit. Potius si omnes secum habebat: iter impediebatur, sumtusque haud necessarii fiebant; quorum quidem ratio in primae ecclesiae paupertate certo non parvi habebatur. Item illud facile conjicitur, Apostolum voluisse, ut hi ipsi comites interim Trojanos evangelium docerent. Fortasse utraque ratio simul valuit ad hos viros praemittendos. Posterior autem inde confirmatur, quod Ap., quum antea Ephesо in Macedoniam proficiscens Troadem εἰς εὐαγγέλιον venisset (2 Cor. II, 12), post breve tempus inde discesserat, et quod ipse quoque postea Troadem adveniens aliquid temporis ibi contrivit (Act. XX, 6. 7), et quasi, quod comites effecerant, confirmaturus solennem Christianorum Trojanorum conventum habuit.

Sed quo praepositio ἄχρι tendit, quae finem itineris indicare videtur, quamquam id aptum sensum non edere, jam demonstravimus? Deinde illud aliquem offendere possit, quod illi, quos praevectos esse censemus, et ipsi eodem verbo συνείπετο contineri videantur, neque idonea causa afferri possit, de qua comites in duo genera distribuantur? Quamobrem Lucas haud magis perspicue et simplicius alterum comitum genus ab altero segregavit, sed apposito verbo οὗτοι totam structuram obscuriorem reddidit, quandoquidem vox οὗτοι facile ad omnes v. 4 nominatos referri possit? Qua in re conjicimus, Lucam iter tantum Corintho per Macedoniam usque ad Troada describere voluisse, quoniam inde ab hac urbe Apostolus partem itineris **solus** confecit. Nam disertis verbis v. 13 legitur, usque ad Ἄσσον Apostolum pedibus ivisse, comites contra solos navem conscendisse. Quae qui-

dem itineris ratio quum Lucae ob oculos versaretur: jam v. 4 paulo contortius verba ἄχρι τῆς Ἀσίας sive Τρωάδος injecit. Nam verbum συνείπεσθαι premendum est, quatenus ad comites spectat, quos per Macedoniam una cum Apostolo profectos; latius patet, quatenus ad Tychicum et Trophimum pertinet, quos Corintho Troadem praevectos esse putamus. Sed quum plurimi in Apostoli societate iter facerent: hos pauciores initio negligentius cum illis verbo συνείπετο conjungit; tum autem, postquam se negligentius scripsisse sensit, se ipsum emendat et accuratissime versum 5 addit. Versu 6 autem ipsius Pauli iter inde a Philippis describens, verbo ἡμεῖς non solum se ipsum, sed omnes Macedones intelligit. Ergo, ut, quae disjectis locis protulimus, complectamur, hanc itineris rationem fuisse putamus: Apostolus una cum Gajo et Timotheo Corintho discedens Tychicum et Trophimum Troadem praemisit, ipse cum Sopatro, Aristarcho et Secundo, quorum de sua urbe unumquemque, Macedoniam perlustrans, deduxerat, comite Luca, quem Philippis invenit, Troadem est profectus, ita ut non omnes itineris Macedonici essent socii. Sin quaeritur, unde nostra explicatio melius commendetur, quam illa, quae omnes, itinere terrestri per Macedoniam una cum Apostolo confecto, sine eo Philippis navem conscendisse statuit: omissis iis, quae jam diximus illud proponamus, nos justam vocis ἄχρι significationem tueri potuisse. Totam enim hujus loci negligentiam ad verbum συνείπετο rejicimus, quod non ad omnium profectionem pertineat. Sed ab hoc quidem crimine, quod in nostram explicationem cadere possit, scriptor ipse praestantissime se defendit; quum versum 5 quasi in parenthesi addiderit. Tantum igitur abest, ut hoc loco scriptorem negligentiorem habeamus, ut diligentissimum et cautissimum eum esse, luculenter appareat. Denique elucet, aptissime sibi opponi versum 4 (συνείπετο)

et versum 5 (προελθόντες), id quod explicatio, quae in Ἀσίᾳ comitatum non tantum interruptum, sed prorsus finitum esse statuit, prorsus negligit. Hujus sententiae defensores oppositionem tantum ad versum quintum et sextum referunt (ἔμενον ἡμᾶς ἐν Τρωάδι — ἡμεῖς δὲ ἐπλεύσαμεν caett.), quam nos quidem non minus statuimus, sed ita, ut jam versu 4 sit indicata, et versu 6 tantum repetita.

Quae quidem explicatio si cuipiam nimis obscura et arbitraria videbitur: simpliciorem quandam ita assequi poterimus, ut verbum συνείπετο ad Sopatrum solum referendum esse statuamus. Tum, praetermisso apto illo consensu inter itineris Macedonici rationem et Macedonicorum nominum ordinem (nam omnes jam Corinthi apud Apostolum fuisse habendi essent), verbum οὗτοι ad omnes comites praeter Sopatrum retulerimus eodem sensu, quem antea diximus. Quod si quis melius sibi probaverit: vocem Ἀσίαν eodem modo ad Τρωάδα referre et, verbo ἄχρι non ex versu 13 explicato, Sopatrum Troade ab Apostolo discessisse statuere poterit. Nam hic Beroeensis solus Trophimi et Aristarchi nominibus praemittitur. Neque enim erit, cur unum virum brevem inter Philippos et Troadem viam, ut Apostolum vel amore vel honore prosequeretur, suscepisse intentius negemus. Qua quidem ratione versus 6 ad nullos praeter Lucam, Ap., et Sopatrum spectabit. Sed prior etiam quam proposuimus, verbi ἄχρι explicatio ad solum Sopatrum adhiberi, et hic quoque in Asia Apostolo non valedixisse putari possit. Tametsi totus hic posterior explicandi modus propterea minus commendatur, quod negligentior plurimorum comitum commemoratio difficilius explicatur, siquidem verbum, quod ad eos spectat, versu quinto demum legitur. Quam quidem difficultatem, statuta priori interpretatione, inde facile explicari jam commemoravimus, quod, Lucas proponens multorum nomina duos illos ultimo loco nominatos facile adjunxisse et postea versum quintum emendationis instar addidisse existimari possit.

Si

Si vero ad illud respiciamus, quod probare nostra plurimum interest, omnes vel plurimos in Pauli societate permansisse: sane profitemur, id e planis v. 4 verbis, quae iter usque ad Troadem solum enarrant, prorsus non posse evinci. Neque in sequentibus versibus scriptor hoc diserte refert. Nihilominus eos totius itineris fuisse socios, quam persuasissimum habere licet. Nam iterum quaeramus, quî fieri potuerit, ut significasse sibi videretur Lucas, eos, qui secundo et ultimo loco nominantur, Hierosolyma profectos esse (quod narrasse nisi visus sibi esset, posterioribus locis non tam nude eos Hierosolymis versantes commemorasset); reliquos autem, eorum nominibus interpositos, alicubi remansisse. Hierosolyma autem cur migraverint, ejus rei aptissimam causam in locis 1 Cor. XVI, 2 — 4; 2 Cor. VIII, 16 — IX, 4 inveniri, jam indicavimus, quod, quum tum temporis aliquot ecclesiarum legatos, qui beneficia in iis collecta Hierosolymitanis afferrent, Paulo fuisse additos necesse sit, nostris ipsis comitibus hoc legationis munus fuisse injunctum, admodum sit probabile. Ac profecto, nisi hanc ipsam aut similem quandam tanti comitatus causam afferre possemus, vix intelligeretur, cur Lucas omnium singulorum nomina commemorasset. Lucas enim plerumque omittit inferiores Pauli comites. Itaque si hoc nostro loco tam multi comites nominantur, ex ipsius scriptoris usu in aliis locis conspicuo probabile est, eos gravi aliquo munere ecclesiastico functos fuisse. Quod si ita est, nulla aptior, quae iis imponatur, provincia cogitari potest, quam pecuniae ad Hierosolymitanos deferendae. Denique uterque epistolarum ad Corinthios locus (cf. 1 Cor. XVI, 1 sqq.; 2 Cor. VIII, 16 sqq.) aliquantulum valet ad itineris hujus (Act. XX) rationem illustrandam. Mirum enim in modum tres hi loci invicem se explicare et supplere videntur. Itaque ut Excursus jam finem facientes ultimos quasi, quos audacissima conjectura assequi licet, limites attingamus, quaestiones ali-

quot magis indicare placet, quam exponere et decertare:

1) E loco in Actis, quo Corinthii nulli nominantur, conjici possit, a Corinthiis, quorum pecunias satis large congestas ne sine indigenis comitibus solus afferret, imprimis cauturus fuisset P., pauciora beneficia esse collata. Nam loco, 1 Corinth. XVI, 4 Ap. diserte memorat, se Corinthiorum legatos, si beneficia satis ampla conjecta essent, cum semet ipso Hierosolyma ducere velle (*ἐὰν ᾖ ἄξιον τοῦ κἀμὲ πορεύεσθαι, σὺν ἐμοὶ πορεύσονται*).

2) Macedones illos, qui una cum Apostolo Corinthum profecti esse dicuntur l. 2 Corinth. IX, fuisse nostros Sopatrum Beroeensem, Thessalonicenses Aristarchum et Secundum. Nam semel *χειροτονηθεῖσι* ab ecclesiis haec beneficiorum negotia, donec prorsus essent perfecta, fuisse injuncta, per se est verisimile.

3) Porro etiam e Galatis (1 Corinth. XVI, 1) ab Apostolo beneficiorum causa comites assumtos fuisse, eosque fuisse *Γάϊον Δερβαῖον* et *Τιμόθεον*. Gajum autem et Timotheum, sive hic quidem, Bertholdtio auctore, fuerit et idem Derbaeus, sive, aliis arbitris, Lystrensis, Galatarum vicarios fuisse, duplici modo declarari licet. Nam aut Derbe et Lystra Lycaoniae urbes e nonnullorum sententia provincia Galatica comprehendebantur, aut quum hoc minus verisimile sit, Galatarum ecclesiae Lycaoniis prope adjicientes et cum iis arcta necessitudine conjunctae Gajum quidem *χειροτονηθέντα* ad Apostolum miserunt (Act. XX), et fortasse Timotheum suae regionis hominem destinaverunt, qui stipem a Gajo ad Apostolum allatam una cum iis Hierosolymitanis traderet.

4) Denique ab Ephesiis quoque beneficia nunc ab ipsorum legatis deferenda esse conjecta, aliquis sibi probare possit, quod etiam ex Ephesiis Tychicus et Trophimus in Actis nominentur.

TYPIS IOANNIS FRIEDERICI STARCKII.

Corrigenda

quae ut ante lectionem emendentur, auctor rogat.

Pag. 1 versu 10 pro easdem lege eosdem.
— 1 v. 20 p. vocata l. vocatae.
— 4 v. 22 p. quas l. quos.
— 7 v. 10 p. malluisset l. maluisset.
— 8 v. 34 p. ? l. .
— 11 v. 28 p. adjunctam l. adjunctum.
— 13 v. 22 p. eum l. eam.
— 13 v. 27 p. liceret l. liceat.
— 15 v. 13 p. insinuarem l. insinuaram.
— 18 not. v. 1 p. Eph. V, 35 l. 33.
— 20 v. 37 p. v. 9. l. 19.
— 26 v. 15 p. . l. ?
— 27 v. 2 p. quem l. quod.
— 27 v. 8 p. paschalem l. paschale.
— 29 v. 29 p. Act. XV l. Act. XIII.
— 31 v. 32 p. cum l. eum.
— 32 v. 12 p. Lucam l. Lucas.
— 34 v. 39 p. defensorem l. defensor.
— 38 not. p. Act. XX, 3 caett. l. Act. XX, 1: ἐξῆλθεν πορευθῆναι εἰς τὴν Μακεδονίαν.
— 47 v. 19. p. Titus l. Titum.
— 47 v. 35 post: nominatur deest: Epheso abierit.
— 49 v. 13 p. LIX l. LVIII et p. LX l. LIX.
— 52 v. 7 p. se invito l. invitus,
— 53 v. 11 v. 1 Cor. XVI, 18 l. 1 Cor. XVI, 12.
— 53 v. 34 deleatur ita.
— 54 v. 9 p. 1 Cor. XVI, 16 l. 1 Cor. XVI, 11.
— 54 v. 19 p. Act. XVI l. 1 Cor. XVI.
— 56 v. 4 p. opertus l. oppertus.
— 56 v. 20 p. Corinthi l. Corinthum.
— 57 v. 11 p. LXIX l. LIX.
— 58 v. 2 p. Timotheus l. Timotheum.
— 58 in initio omissum est III.
— 59 not. v. 6 p. aliquod l. aliquid.
— 59 v. 11 p. qui l. quae.
— 61 v. 10 post: Timotheo deest mandasse.
— 61 v. 15 pro ? pone .
— 61 v. 23 p. ulterius l. alterius.
— 61 v. 26 post saltem adde silentium.
— 63 v. 31 p. ? pone .
— 64 v. 12 p. usus sit pone ausus sit.
— 65 v. 10 p. quamvis pone etiamsi.
— 67 v. 29 post ita addatur: si ea, quae desiderantur, fusius explicata essent.

Pag. 68 v. 1 post culpam adde: perstringere.
— 71 versu 6 pro v. 13 legatur: Act. XX, 30.
— 72 5 p. ipso l. ipsa.
— 73 v. 20 p. ut l. quod.
— 74 v. 5 p. ostendamus l. ostenderemus.
— 78 v. 39 p. periclitatum l. periclitaturum.
— 79 v. 4 p. Judaeis Syriacis caett. l. Judaeos Syriacos caett.
— 83 v. 38 p. nesciri l. sciri.
— 84 v. 23 p. v. 19 l. 1 Tim. V, 19. 20.
— 85 v. 26 p. explicatum sit l. explicetur.
— 87 not. v. 3 p. patrono l. patroni.
— 88 v. 23 p. remansisset l. remaneret.
— 89 v. 4 post potuisset, adde: ejusque spem non ad irritum cecidisse, l. Act. XXI, 17 sqq. fuse narratur.
— 91 v. 34 post cur adde: in.
— 92 v. 8 post statueretur deleatur ab.
— 100 v. 23 deleatur gestam.
— 104 v. 4 post eam adde desiderari.
— 108 v. 14 pro Rem ipsam lege Ad rem ipsam.
— 109 not. 3 p. locutus esset l. loqueretur.
— 112 v. 8 post I, 10 adde patet.
— 112 v. 32 pro 2 Tim. III, 17 l. 2 Tim. III, 7.
— 112 v. 37 p. 2 Cor. II, 20 l. 2 Cor. II, 10.
— 115 not. v. 4 p. εἰδωλολάτραι l. εἰδωλολάτρας.
— 126 v. 2 p. αἰσχροκερδής l. μὴ αἰσχροκερδῆς.
— 128 not. v. 22 p. doctrinae l. doctrina.
— 128 not. v. 35 post alteram adde serpsisse.
— 131 v. 13 p. 2 Cor. VIII, l. 2 Cor. VIII, 8.
— 131 v. 14 p. Cap. I, v. 18 l. I, v. 8.
— 133 v. 4 p. Tim. l. Titum.
— 134 v. 23 p. quo l. quod.



